Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/primatuspontific0000unse

COLLECTANEA PHILOSOPHICO – THEOLOGICA
CURA PROFESSORUM COLLEGII INTERNATIONALIS S. ANTONII DE URBE EDITA

Vol. I.

PRIMATUS PONTIFICIS ROMANI

IN CONCILIO CHALCEDONENSI

ET ECCLESIAE DISSIDENTES

AUCTORE

P. THEOPHILO HARAPIN, O. F. M.

PROV. CROATIAE ALUMNO

Property of
CBU
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQU
EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE
1923.

234.32
H254

Nihil obstat, quominus dissertatio *Primatus Pontificis Romani in concilio Chalcedonensi et ecclesiae dissidentes*, scripta a P. Theophilo Harapin O. F. M. imprimatur.

Romae, 6 iunii 1923.

P. Dorotheus Cornelisse O. F. M.
P. Ulricus Hüntemann O. F. M.

IMPRIMATUR

Florentiae, 15 Iunii 1923.

Can. Ioachim Bonardi, Vic. Gen.

Reverende Pater,

Una cum permissu, audito Censorum voto, publici iuris faciendi opellam tuam, cui titulus: *Primatus Pontificis Romani in Concilio Chalcedonensi et Ecclesiae separatae,* tibi, dilecte fili, P. Theophile Harapin, S. Theologiae Lector in nostro Collegio S. Antonii de Urbe, benedictionem seraphicam ex animo concedimus, meliora simul in futurum tempus ominantes.

Insuper, benedictionem renovantes quam S. Pater noster Franciscus divo Antonio impertivit, eam ad universum nostri Collegii Internationalis Lectorum coetum extendimus, omnibusque gratulamur de incepto opere, suas nempe publicandi elucubrationes quae *Collectanea philosophico-theologica* constitutura sunt.

Non est certe hic locus huiusmodi labores ac studia commendandi, eorumque opportunitatem et necessitatem demonstrandi. Neminem vestrum latet quam ingenti incremento scientiae non tantum profanae sed et sacrae hodierno tempore auctae sint. Quemadmodum Patres nostri in doctrina scientiaque colenda nulli unquam secundi fuerunt, oportet ut neque nos tales videamur aut simus. Satagite ergo, RR. PP. Lectores, ut palam per vos luceat veritas catholicae religionis, simulque ut traditiones nostrae Scholae haud a multis posthac ignorentur. In propatulo exserantur studia vestra, labores nempe totius

158842

vitae vestrae, quam in acquisitionem ac traditionem divinae humanaeque doctrinae impendistis; et ita animis succrescentis iuventutis nostrae quam a pluribus annis edocetis, scientiae et sapientiae amor melius altiusque inseretur.

Primum itaque istum tuum florem, *Collectaneorum* sertum veluti inaugurantem, tamquam viridarii nostri antoniani primitias gratum acceptumque habemus; votaque, benedicentes iterum, promimus ut aliorum cito calyces florum in eodem viridario aperiantur: ut alia, scilicet studia aeque accurata et commendabilia a Lectoribus in lucem edantur, et tali quoque ratione opera vestra videantur et Pater coelestis ab omnibus glorificetur.

Datum Romae e Collegio S. Antonii, die 13 Iunii 1923.

Fr. Bernardinus Klumper O. F. M.
Min. Glis.

PRAEFATIO AUCTORIS

Magister ineffabilis ille generis humani, Christus Iesus, in historia universa structuram certe maxime mirabilem, ecclesiam videlicet fidelium suorum, quum hoc sapientiae et sanctitati necnon messianicae eius contradiceret missioni, non super sabulum neque passionum humanarum placitis adaptabilem condere voluit. Hinc ex ore eius divino verba sonuerunt indelebilia: « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis ». (Matth. XVI, 18, 19). Nihilominus quam multi dantur christiani, qui haec tam clara Christi verba negant et detorquent, Petro eiusque successoribus, id quod a Christo acceperunt, audacter et pertinaciter detrahentes! Rectene? Non ad eos, qui divina humanaque permiscentes, rationalismi nant in gurgite vasto, sed ad eos, qui divinam Christi ecclesiae institutionem agnoscentes, Petro tamen eiusque successoribus in ecclesia Christi auctoritatem supremam denegant, talem dirigere interrogationem liceat. Historiam si Christi ecclesiae inspicimus, primaevis octo saltem saeculis integris hac in re ecclesiarum, quae se hodie orthodoxas nominant, cum ecclesia romana unam fuisse fidem reperiemus. Atqui semel quod est verum, semper verum esse debet, nec ullis argutiis non verum effici potest. Conclusio patet.

At studiis rerum ecclesiasticarum Orientalium operam danti mihi non semel theologorum ab Ecclesia Romana separatorum, ac si primatus iurisdictionis Pontificis Romani numquam ab eorum ecclesiis agnitus fuisset, effata, quorum specimina quaedam postea adducam, sub oculos obvenere. Hanc eorum affirmationem non modo theologico, sed et fundamento historico carere, semper magis suspicatus sum, haecque suspicio causa est, cur potius de Pontificis Romani in conciliis orientalibus primatu vestigia historica indagandi, quam alias, licet perpulchras quaestiones rimandi propensionem senserim.

Hac igitur consideratione incitatus, unius saltem concilii, et quidem ecclesiasticae aetatis antiquae maximi, chalcedonensis videlicet, de primatu Pontificis Romani mentem dilucidare proposito habui. Nec opere hoc praestito, ignoti aliquid me detexisse mihi fingo, neque tamen, quum libri alicuius de primatu Pontificis Romani ex hoc eodem concilio speciatim pertractantis existentia me lateat, et quum huiuscemodi quoque quaestionis indagatio ac dilucidatio numquam supervacanea sit, actum me egisse arbitror.

Quum vero lectio latina, quamvis quoad sensum una, non tamen quoad ordinem et verborum selectionem apud omnes conciliorum collectores identica sit, (cfr. v. gr. Mansium et Binium), argumentorum vi id postulante, textus graeci quoque verba, saltem praecipua, latino subnectere opportunum esse duxi. Epistolarum necnon concilii sessionum, Labbei textu, cuius mihi facillime aditus patebat, quamquam non unico, usus sum.

Nec te, lector benevole, arida textuum congeries a legendo absterreat: pro veritate enim historica necnon vera Christi ecclesia pugna est!

SERIES AUCTORUM

QUOS SCRIPTOR OPELLAE HUIUS CONSULUIT

* Arabadjoglou, *Union ou rapprochement des églises chrétiennes.* Constantinople 1920.

Bail, *Summa conciliorum omnium.* Patavii 1723.

Baronius, *Annales.* Lucae 1741, tom. VIII.

Binius, *Concilia generalia et provincialia.* Coloniae Agripinae 1518.

Blötzer, *Der heilige Stuhl und die ökumenischen Synoden des Altertums.* (*Zeitschrift für katholische Theologie.* 1886).

Civiltà Cattolica, *Parola di un cattolico romano in risposta alla parola dell'ortodossia greco-russa.* Roma 1854, vol. V.

» *La chiesa e l'impero.* Roma 1855, vol. X.

Forget, *Conciles.* (*Vacant-Mangenot: Dictionnaire de théologie catholique.* Paris, vol. III).

Funk, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen.* Paderborn 1897.

Grisar, *Analecta Romana.* Roma 1899.

Grivec, *Pravoslavje.* Ljubljana 1918.

» *Cerkveno pervenstvo in edinstvo po bizantinskem pojmovanju.* Ljubljana 1921.

* Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte.* Freiburg u. Leipzig 1894 [3].

» *Entstehung und Entwickelung der Kirchenverfassung in den ersten zwei Jahrhunderten.* Leipzig 1910.

Hefele, *Konziliengeschichte.* Freiburg in Breisgau 1875.

Herbigny, *Theologia de Ecclesia,* vol. II. Paris 1921.

Hergenröther, *Photius der Patriarch von Konstantinopel.* Regensburg 1867.

Jugie, *Grecque (Église)* in: *D'Alès: Dictionnaire Apologétique de la foi Catholique.* Paris 1912.

Kneller, *Zur Berufung der Konzilien.* (*Zeitschr. f. kath. Theol.* 1907).

Kuhn, *Christologie Leo's I des Grossen.* Würzburg 1894.

Labbeus, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio.* Venetiis 1767.
Mansi, *Sacrorum Conciliorum amplissima collectio.* Florentiae 1761 sq.
Marković, *Cezarizam i bizantinstvo u povjesti raskola.* Zagreb 1891.
Migne, *Patrologiae Cursus completus.*
Mourret, *Histoire Générale de l'Église (Les Pères de l'Église).* Paris 1920.
Pargoir, *L'église Byzantine.* Paris 1905.
Pustinjak, *Budilo ili pitanje: Gdje je na zemlji prava crkva Kristova?* Zagreb 1872.
Rohrbacher, *Storia universale della chiesa cattolica.* Torino 1869 [3].
* Seeberg, *Lehrbuch der Dogmengeschichte.* Leipzig 1910.
Spáčil, *Christus caput corporis mystici ecclesiae.* Roma 1921.
* Teodorović, *Pravoslavna dogmatika.* Sr. Karlovci 1917.
Tixeront, *Histoire des dogmes,* III. Paris 1919.
Tondini, *Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand.* Paris 1874.
Vailhé, *Constantinople.* (*Vacant-Mangenot: Dictionnaire,* vol. III).
Weber, *Die katholische Kirche in Armenien.* Freiburg in B. 1903.
Zabužnyj, *V zaščitu vjeri.* S. Peterburg 1914 [2].

Nota: Ubi in hac opella praefati auctores absque titulo operum adducuntur, semper opera, quae hic iacent, intelligantur. Auctores asterisco (*) signati, acatholici sunt. Alia autem opera et auctores, quos obiter tangimus, loco suo adducentur.

INDEX RERUM

Litterae Reverendissimi P. Ministri Generalis . . . . . *Pag.* III
Praefatio auctoris V
Series auctorum quos scriptor opellae huius consuluit VII

Pars prior: historica.

CONTRA PRIMATUM PUGNA EIUSQUE SEQUELAE 1
CONCILII CHALCEDONENSIS CAUSAE HISTORICAE.
§ 1. Damnatio Eutychis 11
§ 2. Latrocinium ephesinum 15
§ 3. Concilii chalcedonensis praeparatio 18
CONCILII CHALCEDONENSIS BREVIS DESCRIPTIO 24

Pars posterior: demonstrativa.

EX CONCILIO CHALCEDONENSI DE PRIMATU PAPAE DOCUMENTA.
1. Testimonia pro primatu concilii sessiones praecedentia . . . 37
§ 1. Testimonia ex epistolis Papae ad alios missis 38
§ 2. Testimonia ex epistolis aliorum ad Papam directis . . . 46
§ 3. Testimonia ex epistolis aliorum ad alios praeter Papam datis. 52
2. Testimonia ex concilii actis 55
3. Testimonia ex documentis post concilium 62
QUID DOCUMENTA SUPRA ADDUCTA PROBANT?
§ 1. Pontifex Romanus S. Petri successor declaratur 69
§ 2. Pontifici Romano iurisdictio competit universalis 73
§ 3. Papa super concilia auctoritatem exercet 85
§ 4. Papa est supremus fidei magister isque infallibilis . . . 92

Canon 28 concilii chalcedonensis.

§ 1. Canonis 28 chalcedonensis origo 106
§ 2. Canonis huius ad primatum relatio 113

UBI PETRUS, IBI ECCLESIA 127

PARS PRIOR: HISTORICA.

CONTRA PRIMATUM
PUGNA EIUSQUE SEQUELAE

Antequam de ipso concilio agere incipiam, pauca de hodierno ecclesiarum separatarum statu praemittere, ut pugnae contra primatum videantur sequelae, necnon quasdam ex earum gremio de eodem afferre sententias opportunum duxi, ut eo lucidius earumdem a concilii chalcedonensis testimoniis appareat deviatio.

Lugubris sane ecclesiarum, quae orthodoxae solent appellari, post separationem ab ecclesia Romana effecta est conditio. Non modo verae unitatis defectus, sed et a potestate civili in rebus etiam fidei quandoque et disciplinae ecclesiasticae dependentia, nonnisi fructus amaros generare poterant. Sequens, (certe non suspectum, ex eodem enim cuneo est), in principali ecclesiarum harum huiusmodi conditionis tristissimae, testimonium documento sit: « Vel ipsi scriptores russici facta referunt, ex quibus patet, ecclesiam russicam statui civili, oppressoribus, proceribus, omnibusque aliis, Christo solo ideisque eius sublimibus (idealima) exceptis, servientem, praecipuam status rustici ruinae extitisse causam; archiereos russicos libertatem ac independentiam in munere suo exequendo nullam habuisse atque eosdem ab invicem nimium separatos necnon a pastorali officio longe abfuisse – quod est contra canones ... ipsos a loco in locum ad modum scribarum nostrorum quaestoriorum transferri, – quod est contra canones; iam inde a 200 et amplius annis nullam synodum locum habuisse, – quod est contra canones; parochiam russicam orthodoxam omnino emortuam esse nul-

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
S. BARBARAE

laque iura ac independentiam habuisse, – quod est contra canones; multos archiereos vitae immoralis mundique huius oblectamentorum gratia sponte episcopatum monachismumque deseruisse, immo ab ecclesia quoque orthodoxa defecisse... sigillum confessionis vel ipsis latifundiorum possessoribus (spahijama) proditum fuisse; inter clerum superiorem atque inferiorem, urbanum atque ruralem nullum ligamen existere »... (1).

Proh dolor, non ecclesiae russicae solius haec imago est! In omnibus ecclesiis separatis potestas saecularis potiores in ecclesiae regimine habenas tenere videtur.

Sciscitanti alicui, quomodo eo usque ventum sit, plures huiuscemodi conditionis luctuosae adduci possent causae, quarum tamen falsum de Christi ecclesiae constitutione interna conceptum, ab auctoribus schismatis pedetentim efformatum, faciliter praecipuam esse reperies.

Ex sacris Scripturae paginis ecclesiam Christi regnum in mundo esse, elucet (Mt. 1, 32; Ioan. 18, 36). Ecclesiae est omnes homines docere omnia, de quibus Christus eos ad sa-

(1) Quum typographia difficultates habendi characteres sic dictos cyrillianos ob rerum adiuncta superare non potuerit, textus tum serbicos tum russicos latina, quoad facultas fert, transcriptione reddo. Itaque istud testimonium in textu originali sic sonat: « Sami ruski pisci iznose fakta, da je Ruska Crkva služeći državi, reakciji, plemstvu, svima, samo ne Kristu i njegovim idealima, jedan od najglavnijih uzroka propasti ruske države; da ruski arhijereji nisu nikako imali slobode i samostalnosti u svome radu i bili jako odvojeni medju sobom i udaljeni od svoje pastve, što je protivno kanonima... da su premeštani iz mesta u mesto kao naši policiski pisari, što je protivno kanonima; da crkvenog sabora više od 200 godina nije bilo, što je protivno kanonima, da je ruska pravoslavna parohija bila potpuno mrtva, nije imala nikakva prava ni slobode, što je protivno kanonima... da su mnogi arhijereji zbog nemoralnog života i naslada ovog sveta sami zbacili vladičanstvo i kalugjerstvo pa čak i istupali iz pravoslavne crkve... da se izdavala tajna ispovesti čak i spahijama; da ne postoji veza izmedju višeg i nižeg, izmedju gradskog i seoskog sveštenstva »... (« Vesnik », crkveno-politični list. — « Nuntius », folium ecclesiastico-politicum. Beograd. 6 Iunii 1921). Esto, quod descriptio haec, plerumque enim in foliis periodicis aestu concertationis ita contingit, exagerata sit, miseram tamen ecclesiae russicae sub caesarismo haud obscure monstrat conditionem.

lutem adipiscendam edoceri voluit (Mt. 28, 19, 30). Ecclesiae in hoc omnes obedire tenentur (Lc. 10, 16), neque ipsa ecclesia muneri sibi obeundo renunciare potest (Act. 10, 16). Veritas insuper est revelata, ecclesiam a Christo Domino in persona B. Petri eiusque legitimis successoribus constitutam esse societatem vere monarchicam, id est, uno cum capite supremo visibili, penes quod plena hierarchiae ecclesiasticae potestas necnon magisterii supremi auctoritas invenitur. (Mt. 16, 13 sq.).

Hic catholicus de Christi ecclesia conceptus, haereticos si excipias, totius christianitatis, primis saltem octo saeculis, thesaurus erat communis, quod vel ipsi catholicismi adversarii, at antiquitatis christianae indubie periti, ut v. gr. Harnack, confiteri coguntur. Ecce eius verba: « Quoad ulteriorem constitutionis ecclesiae evolutionem a fine saeculi II immo etiam prius, omnia iam elementa aderant. Nullum elementum novum, imperatore christiano excepto, amplius apparuit » (1). Et in alio loco: . . . « et historici ecclesiastici protestantes periti, propositione hac, quod videlicet praecipua catholicismi elementa usque ad aetatem pertingant apostolicam, et quidem non ut peripherica dumtaxat, nequaquam amplius percellentur » (2).

Iamvero inter elementa praecipua, catholicismum ab aliis professionibus christianis distinguentia, procul dubio doctrina de primatu S. Petri eiusque successorum, Pontificum Romanorum, primum tenet locum. Quanti igitur sequentes, quas speciminis gratia adduco, dissidentium valeant affirmationes, cuique historiam noscenti claret.

---

(1) Alle Elemente der späteren Entwickelung der Kirchenverfassung waren am Ende des 2 Jahrhunderts, ja schon früher, bereits vorhanden. Neue Faktoren sind später nicht mehr aufgetreten ausser dem christlichen Kaiser; eine Revolution, um das zu erreichen, was im 3, im 4, und 5, im 9, und 11, im 16 und 19 Jahrhundert gewonnen werden sollte, war auch nie nötig... (Kirchenverfass. p. 119).

(2) . . . « und gewiegte protestantische Kirchenhistoriker werden heute an dem Satze keinen Anstoss mehr nehmen, dass Hauptelemente des Katholizismus bis in das apostolische Zeitalter zurückgehen, und zwar nicht nur als peripherische » (Theolog. Literaturzeitung. 1909. p. 52).

A) ... « Supremum ecclesiae regimen in unam personam, tamquam totius ecclesiae caput visibile, redundare nequit, nam: ... α) Nullum in S. Scriptura hoc fundamentum habet, etenim nullus in ea aliquod caput visibile ecclesiae locus determinans reperitur ... β) Doctrina haec tum in traditionis apostolicae, tum in ecclesiae priscae documentis fundamento caret; octo enim saeculis integris nullibi, sive in ecclesiae praxi, sive in synodorum universalium canonibus, sive in SS. Patrum scriptis, doctrinae de ecclesiae capite visibili vestigia invenimus » (1).

B) « Non solum cognitione historica privus, sed et simpliciter animo imbecillus esse debet ille, qui non percipiat, numquam iterumque numquam a Christo aliquem sui ipsius in terra vices gerentem, seu vicarium constitutum fuisse » (2).

C) « Numquam Episcopus Romanus tamquam auctoritas suprema et caput ecclesiae infallibile considerabatur » (3).

---

(1) A « ... Vrhovna uprava u celoj crkvi ne može se usrediti u jednome licu, kao vidljivoj glavi cele crkve, jer: ... α) To nema osnova u Sv. Pismu, jer u njemu nema ni jednoga mesta, koje bi odredjivalo neku vidljivu glavu u crkvi... β) Takovo učenje nema osnova ni u apostolskom predanju, ni u primeru stare hrišćanske crkve; jer za punih osam vekova ne nalazimo ni u crkvenoj praksi, ni u pravilima vaseljenskih sabora, ni u spisima sv. otaca ni traga nauci o vidljivoj glavi crkve ». (Teodorović, o. c. p. 138).

(2) B) Ita archiepiscopus Corcyrae in periodico « Παναινος » Alexandriae 1912. n. 15. « Roma e l' Oriente », unde hoc deprompsi, sequentia ad hoc observat: « Come il lettore può ben immaginare, il primato del Papa costituisce la grande pillola che non si vuol inghiotire, e che tiene in uno stato nervoso l' ottimo Arcivescovo di Corfù. Per lui un capo della Chiesa non esiste *e bisogna essere,* sono sue parole, *non solamente digiuni di storia, ma semplicemente ingenui per non capire che mai e poi mai Cristo abbia stabilito un suo rappresentante o vicario in terra.* Ci inganneremo forse, ma ormai quest' affare del primato negato a S. Pietro ed i suoi Successori, comincia prendere nei degnissimi Vescovi orientali la forma di una fissazione morbosa » (1912, p. 7).

(3) C) « Ουδέποτε ὁ Ἐπίσκοπος Ῥώμης ἐθεωρήθη ὡς ἡ ἀνωτάτη ἀρχὴ καὶ ἀλάνθαστος κεφαλὴ τῆς Ἐκκλησίας ». (Ita Antimus VII in encyclica synodali 1895. Ἐγκύκλιος πατριαρχικὴ καὶ συνοδικὴ..... τοῦ ἁγιωτάτου..... πατσιαρχικοῦ θρόνου..... ἐν Κωνσταντινουπολει 1895. ἐκ τοῦ πατριαρχ. τυπογραφείου, p. 10. nr. ιδ' — Hanc encyclicam statim confutavit M. M., sacerdos

Talisne semper ecclesiarum harum fuit doctrina? Nequaquam, sed et ecclesia Constantinopolitana, quae alias peperit ecclesias dissidentes, olim de S. Petro eiusque successoribus, cum ecclesia Romana, unam quippe cum ea ecclesiam constituebat, idem credidit et docuit. Passiones humanae, non revelatio divina, saec. IX et subsequentibus, novam de ecclesiae Christi constitutione genuerunt doctrinam. Historica origo huiusmodi doctrinae ita breviter describi potest:

Anno 658 a. Chr. n. dux cuiusdam coloniae Megarensium Byzas nomine, civitatem in Bosporo a se Byzantium appellatam fundavit. Sub rege Pausania civitas haec aucta, celebris evasit, tempore autem subsequenti simul cum Graecia Romanorum imperio subiecta, non modo iacturam passa non est, sed mirabiliter a Constantino Magno exornata, ad sedem imperialem evecta est. Christiana religio in civitatem hanc circa finem saec. II introducta est et communitas christiana Heracleensi metropolitae subdebatur. Narratio, tempore iconoclasmi orta, secundum quam S. Andreas ecclesiae Byzantinae auctor fuisset, fabulas inter releganda est. Primus civitatis huius, historice indubius episcopus, Metrophanes nomine, ab Heracleensi metropolita initio saec. IV consecratus est. Civitate in sedem imperialem aucta, episcopi Byzantini subiectionem metropolitano Heracleensi aegre ferentes, iam in concilio Constantinopolitano I, an. 381 in favorem suum canonem 3, quo primatus honorem post Pontificem Romanum haberent, fieri procurarunt. Sic dicta « synodus permanens », quae Constantinopoli sedem habebat, cuique episcopi byzantini praesidebant, iurisdictionem in episcopos sibi non subiectos extendendi occasionem propitiam subministrabat. Nec his contenti, in concilio chalcedonensi an. 451, famoso canone 28 novam, ut postea videbimus, praerogativam anhelant. Post annum 582, Ioanne Ieiunatore praeeunte, titulum « patriarchae oecumenici » sibi usurpaverant, quo iurisdictio-

---

catholicus, qui Constantinopoli eodem anno edidit librum: Ἀπάντησις εἰς τὴν..... πατριαρχικὴν καὶ συνοδικὴν ἐγκύκλιον τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, et praecise hanc Antimi assertionem falsam esse multis probat testimoniis a p. 102-151. — Vide etiam « Roma e l'Oriente », an. I, n. 2, p. 84 in nota).

nem in alios Orientis patriarchas se adepturos sperabant (1). Quum vero his et aliis similibus conatibus atque abusibus Pontifices Romani continuo fortiter restitissent, (ut de episcopis byzantinis palam haereticis, quales Nestorius (428–431), Pyrrhus (638–641), Paulus (641–654), Petrus (655–666), Theodorus (677–679) fuerant, sileam), non pauci eorum contra Pontificum Romanorum decisiones saepius ad potestatem saecularem (imperialem) absque scrupulo recursum fecere; imperatores vero caesaripapismo imbuti, prompte lubitis eorum non semel obsecundavere. Quid mirum, si tali modo vincula subiectionis capiti ecclesiae supremo in dies magis relaxata sint, donec abruptionis nefastae et finalis, sub Photio inceptae et sub Michaele Caerulario definitive peractae, tempus advenit? Historiam igitur schismatis scrutanti, sequens quam vera sit conclusio patet: « Schisma non ex fidei motivis ortum habuit; differentiae dogmaticae primitus praetextus dumtaxat schismatis erant... Iam S. Hieronymus aiebat, unumquodque schisma fidei differentias, quibus ecclesiasticae unitatis desertionem iustificaret, indagare (In ep. ad Titum c. 3, 10). Ecclesia quoque dissidens orientalis, in mille annorum adversus Romam bello, ita theologiam suam adaptavit, ut eadem propriam ab ecclesiastica unitate separationem et iustificaret et velaret.

At ecclesia dissidens in fidei differentias non sponte tantum, sed et ob debilitatem intrinsecam prolapsa est. Auctoritatem enim et magisterium Papae Romani abiiciens, munia magisterii ecclesiastici supremi obeundi incapax effecta est; haecque ipsius historia confirmantur. Absque supremo enim et Ecclesiae magisterio infallibili, veritates christianas inadulteratas impossibile est conservari » (2).

Et re vera, ecclesia orientalis capitis supremi, a Christo constituti, regimen abiiciens, dissolutionis in sinu proprio sevit germina, e quibus hodiernae pullularunt ecclesiae nationales, inter se, non modo auctoritate regiminis ecclesiastici, sed et doctrina quandoque divisae, ita ut vel ipsis theologis

(1) Cfr. S. Vailhé: Constantinople, o. c. col. 1315 sq.
(2) Dr Grivec, Pravoslavje, p. 9.

dissidentibus perspicuum amplius non sit, quisnam in ecclesiis orthodoxis supremam gubernandi et docendi habeat potestatem; unde diversa, ut de dyarchia, tetrarchia, pentarchia, synodis nationalibus, conciliis oecumenicis et sic porro theoremata cuderunt et cudunt. Hinc si hi de unitate ecclesiae orthodoxae loquantur, haec unitas reapse non est nisi ens aliquod abstractum, nam veram unitatem regiminis, immo et doctrinae in illis ecclesiis merum esse figmentum, caecis iamiam clarescere debet. Quomodo possibile est, si ecclesia orthodoxa una est, ut apud Graecos baptisma haereticorum nullum sit, cum apud alias ecclesias nationales theoretice et practice validum habeatur? Ita catholici in schisma prolapsi, eodem tempore ab una ecclesia non baptizati, ab altera autem christiani habentur; christiani extra iurisdictionem ecclesiae graecae; non baptizati, si in territorium huius convolent ecclesiae. Ita « una » ecclesia orthodoxa christianis et invalide baptizatis peramice componi potest [1].

Verumtamen non singulae ecclesiae dissidentes suo regimine supremo ideo carent, etenim non modo in rebus temporalibus, sed saepe, etiam in rebus fidei ac morum vera et suprema earum potestas manifestatur esse in – gubernio civili!...

Ut quaedam tantum facta referam:

Articulus 43 legum fundamentalium imperii russici sequentem praeseferebat tenorem: « Ecclesiam, per sanctam synodum a se constitutam, regit potestas Status absoluta » [2]. Synodus revera nullam habuit potestatem, a voluntate imperatoris independentem, nam in ipsis synodi statutis sequentia stabiliuntur: « Maiestas sua imperialis tantam collegio spirituali potestate sua suprema dignata est conferre vim, quanta in proprio Maiestatis suae mandato initio statuti huius impresso designata est » [3].

---

[1] Cfr. *Civiltà cattolica*, 1854, V, p. 170, 172, et Jugie, o. c. col. 369, 370.

[2] Apud Marković II, p. 617.

[3] « Silu že duhovnyja kolegiji jego carskoje veljičestvo visokoderžavnoju svojeju vlastiju blagoizvolil dat takovoju, jakovaja javljajetsja v imenom jego veljičestva ukazje v načalje sego reglamenta ». (Tondini, p. 66*. Versio eiusdem ita sonat: « Quantum vero attinet ad vim et potentiam seu auctoritatem, quam spirituali collegio Augustissimus

Membra synodum componentia, iusiurandum, in quo et sequentia inveniebantur verba, praestare debebant: « Confiteor porro et iureiurando assevero supremum huiusce collegii iudicem esse ipsum totius Russiae monarcham dominum nostrum clementissimum » (1).

Et non sufficit! Eousque caesaripapismus radices in ecclesia russica immisit, ut imperatores canonizationem sanctorum saepius proclamarent, immo ut et ipsa synodus an. 1862 ab imperatore Alexandro, qui et petitioni satisfecit, canonizationem sanctorum peragendam (agebatur de Tychone, olim episcopo voronensi!) suppliciter petere non abhorruerit (2).

Nimis longa esset series, si omnium ecclesiarum dissidentium guberniis civilibus servitutem enarrare vellemus. Quapropter adhuc solam ecclesiam constantinopolitanam, dissidii matricem, quaeque gubernio non christiano subiacet, inspiciamus. O spectaculum mirum! Vel ipsa dissidentium confessione: « Etsi electio aliorum patriarcharum rigorose canonica est, illa tamen patriarchae constantinopolitani, primi omnium... saepe, speciatim autem hisce ultimis temporibus, influxui, immo soli placito Portae subiiciebatur » (3).

Et utinam sola institutio patriarchae a Porta dependeret! Portae huius auctoritati res quoque disciplinae christianae committuntur dirimendae. Ita an. 1801, quum Graecos inter atque Armenos, de aqua cum vino in S. Missae sacrificio miscenda, causa ageretur, res ad turcicum tribunal delata est. Et iudex turcicus modo vere turcico decrevit: Vinum ab alcorano damnatum et vetitum est; aqua sola, impermixta utimini! (4).

---

rex ex suprema sua regia potestate indulsit, de illa luculenter constat non solum ex peculiari suae Regiae Maiestatis Regulamento huicce praemisso mandato, sed etiam ex Regio beneplacito »... p. 239).

(1) « Ispovjeduju že skljatvuju, krajnjago sudiju duhovnyja sjeja kolegiji byt samago Vserossijskago monarha, gosudarja našego vsemilostivjejšago ». (Tondini, p. 10 et 4*).

(2) Marković, II, p. 621. Cfr. etiam Zabužnij, p. 8-14.

(3) « Si les élections des autres Patriarches sont rigoureusement canoniques, celle du Patriarche de Constantinople, le premier de tous... a été souvent soumise surtout dans ces derniers temps à l'influence et au seul bon plaisir de la Porte » (*Civiltà cattolica,* 1854, vol. V. p. 181).

(4) Cfr. Pustinjak, p. 44.

Esto, quod factum hoc commentum sit Graeci Pitzipii, ut quidam volunt; magisterium tamen turcicum patriarchis christianorum orthodoxorum exosum esse non videtur, etenim in concilio constantinopolitano 1848 illud quodammodo sanxerunt, nam in responso ad encyclicam Pii IX, magisterium suum Urbi et orbi sequentibus verbis notificaverunt: « Patriarchae Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymorum, constantinopolitano patriarchae, utpote quum haec urbs imperii sedes sit atque sedes ista in conciliis praesidentiam habeat, in casibus extraordinariis et difficilibus scribunt; *et si cooperatione fraterna perplexitati consultum fuerit, bene; quod si non, res iuxta leges potestati civili defertur* » (1).

Supervacanea est hic indagatio, quinam sint illi « casus extraordinarii et difficiles », in quibus, si cooperatio fraterna non sufficiat, turcica decisione opus est; nam verba illa certe, quum patriarchae in administratione ab invicem independentes sint, nonnisi disciplinae ecclesiasticae normas praestantiores respicere possunt. Immo et res fidei huc pertinere posse, coniicere licet, nam illi patriarchae ita prosequuntur: « Sed iste concursus fraternus *in rebus fidei christianae* non pretio subiugationis ecclesiarum Dei exercetur ». Utique, subiectio Petri cathedrae esset in servitutem redactio; contra, auctoritati turcicae res fidei christianae decidendas committere, iuxta patriarcharum orientalium enuntiationem omnino congrua res est!... Quis christianorum, talia videns, cordolio non afficiatur?...

Non mordacitati, sed historicis de ecclesiae Christi constitutione documentis innixo, liceat nunc et mihi affirmare:

---

(1) « Les patriarches d'Alexandrie, d'Antioche, de Jérusalem dans les cas extraordinaires et difficiles, écrivent au patriarche de Constantinople, parce que cette ville est le siège de l'empire et à cause de la préséance de ce siège dans les synodes; *et si le concours fraternel remédie à la perplexité, la chose en reste là; sinon, on s'en réfère au pouvoir temporel, suivant les lois.* Mais ce concours fraternel, *dans les affaires de la foi chrétienne* ne s'exerce pas au prix de l'asservissement des églises de Dieu ». (Mansi, t. 40, col. 402)... « και εἰ μὲν ἡ ἀδελφικὴ σύμπραξις διορθώσει τὸ διορθωτέον, εὖ ἔχει. εἰ δε μή, ἀναγγέλεται τὸ πρᾶγμα καὶ εἰς τὴν διοίκησιν κατα τὰ καθεστῶτα ». (Ibid.).

Talis ecclesiae Christi constitutio nec in traditione apostolica, nec in ecclesiae christianae priscae documentis fundamentum habet; nam octo saeculis integris, nullibi, sive in ecclesiae praxi, sive in synodorum universalium canonibus, sive in SS. Patrum scriptis, potestatem civilem supremam esse Christi ecclesiae auctoritatem, reperimus.

Enimvero ecclesiae separatae, his omnibus non obstantibus, titulum « ecclesiae septem conciliorum oecumenicorum » (« Ἐκκλησία τῶν ἑπτὰ Οἰκουμενικῶν Συνόδων ») sibi vindicare non desinunt. Iure, meritone? Non est meum hic indagare, quantopere hodiernae ecclesiae separatae cum illorum septem priorum conciliorum universalium doctrina conveniant, vel potius, ut v. gr. de S. Scripturae canone et aliis, discrepent; sufficit enim, ut quis Pontificis Romani Primatum neget, et iam inaniter septem priorum conciliorum oecumenicorum sequacem sese appellitabit. Historice enim perpetuus primatus iurisdictionis Pontificis Romani tam firmis documentis fundatur, ut vel ipse inter russicos, quamvis divinam primatus originem non agnoscat, schismatis ecclesiastici historiographus sane princeps, A. P. Lebedev, fateatur: « Semper et immutabiliter Pontifex Romanus super alios patriarchas existebat. Par illi episcopus nec aderat, nec adesse poterat » [1]; in conciliis autem illis idem primatus ita clare exprimitur, ut, aut cum illis conciliis primatum hunc acceptare, aut, eodem negato, auctoritatem etiam conciliorum illorum negare necesse sit.

Non est mihi in animo, prout iam dixi, ex omnibus primis septem conciliis affirmationem hanc probare. Ad unum dumtaxat in praesenti opella, provoco, ad antiquitatis christianae maximum concilium, chalcedonense videlicet, anni 451 in quo, paucis ex Occidente episcopis exceptis, 600 propemodum episcopi orientales, ubi Christi ecclesiae caput et fidei christianae magisterium indeficiens inveniatur, indubie professi sunt. Ex huius igitur concilii, necnon eorum, quorum ad illud nomina iunguntur, ad Pontificem Romanum relationibus, primatum eiusdem Pontificis in antiquitate christiana, ab ecclesiis quoque hodie separatis, agnitum fuisse, satis patebit.

[1] Duhovenstvo 228/44 (apud Grivec, p. 25).

CONCILII CHALCEDONENSIS CAUSAE HISTORICAE

§ 1. — Damnatio Eutychis.

Ut lucidior rerum in concilio Chalcedonensi gestarum conceptus habeatur, necesse est breviter saltem eventuum historicorum, qui in illud influxum exercuerunt, seriem proponere.

Nestorio itaque, duplicem in Christo personam docenti et in concilio Ephesino 431 deposito, duo adhuc patriarchae, Maximianus et Proclus, qui pacifice ecclesiam suam gubernarunt, succedebant. Tempore tamen iam Flaviani denuo lucta christologica resuscitata est. Quum enim iste anno 448 synodum constantinopolitanam, ob quaestionem inter metropolitam sardicensem eiusque suffraganeos duos exortam, cum 30 episcopis celebrabat, Eusebius, episcopus Dorylaei in Phrygia, contra Eutychem, sacerdotem et archimandritam cuiusdam monasterii constantinopolitani, perversae contra Nicaenum accusando eum doctrinae, causam inibi porrexit. Concilium Eutychem a solo Eusebio imprimis moneri desiderabat; hic tamen, quum saepius id iam praestitisset, monitorque inauditus remansisset, et quum rusticitatem protervitatemque eius notam habuisset, inanem laborem repetere recusavit. Eapropter Eutyches, ut in concilio se sisteret, ter vocatus est: qui tamen in errore obduratus, recteque causae suae exitum adversum timens, rationum futilium praetextu et ambagibus praesentiam concilii declinare conatus est. Demum, omni effugio praecluso, se in concilio praesentare

spopondit, inducias tamen septem dierum sibi adhuc dari poposcit: quod et ei a patribus concessum fuit.

Erat Eutyches tunc temporis circa 62 annos natus [1], 200 pene monachos regebat, quibus vitae monasticae austeritate re vera exemplo praeibat. Ingenio tamen et cultura theologica carens, nihilo setius quaestionibus theologicis ardenter sese immiscebat, integramque processionem monachorum iam in favorem S. Cyrilli et Mennae, quum a Ioanne Antiocheno in conciliabulo anti-ephesino depositi essent, ad imperatorem sub archimandrita Dalmatio fieri procuraverat [2]. Ipse in concilio Ephesino, ut quidam eum cum Eutyche, S. Cyrilli diacono, confundentes autumabant, sessionibus non interfuit; saepius tamen se fidei ephesinae defensorem esse aiebat, simulque quosdam S. Scripturae necnon Cyrilli textus proferendo, simul eorum sensum verum se unicum assequutum esse iactabat, patresque concilii Ephesini in media via stetisse nec satis Christi divinitatem declarasse affirmabat.

In quo igitur Eutyches errabat?

S. Cyrillus optime in Christo duas esse naturas, atque divinitatem et humanitatem inconfuse et immutabiliter (ἀσυγχύτως καὶ ἀτρεπτως) in suis proprietatibus naturalibus (ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν ἑκατέρου μένοντός τε καὶ νοουμένου) in eo permanisse docebat. Nihilominus ad hanc doctrinam exprimendam, praeter alias claras, etiam formulam: « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκομένη », quae apollinaristicae erat scaturiginis, ipse autem S. Athanasii eam esse putans, indubitanter adhibuit, voce « φύσις » non naturam pressiore sensu, sed individuum concretum, personam independentem significare volens [3]. Eutyches autem non sensum Cyrilli, sed formulam ut talem amplectens, ita eam explicabat, ac si duae naturae post unio-

---

(1) Ita historici quidam. Eutyches autem ipse in epistola ad papam de 70 annis vitae suae « in continentia et omni castitate » peractae loquitur. (Migne, vol. 54. col. 717).

(2) Marx-Pagnini, *Manuale di Storia eccles.* (Firenze 1913) § 40 p. 140 de 300 monachis Eutychi subiectis loquitur. S. Leo M. vocat Eutychem « imprudentem, nimis imperitum », eiusque errorem... « de imperitia magis quam de versutia natum ». (Epist. 28, 30 et 35).

(3) Cfr. Tixeront, III. p. 64 sq.

nem in unam essent concretae et humana in divinum aliquod, nescio quale, esset transmutata vel absorpta, et sic Christi extollendo divinitatem, evanescere fecit eius humanitatem, purum putumque docetismum resuscitans. Hanc igitur doctrinam in claustris divulgabat, caeterosque id non sentientes, inter quos et Eusebium, ut ex eius libello contra Eutychem porrecto constat, labe nestorianismi pollutos esse affirmabat (1).

Hanc quidem Eutychis doctrinam synodus compescere atque eius frangere potuisset procacitatem, nisi iste in Chrysaphio eunucho, et Dioscoro alexandrino episcopo protectores potentes invenisset.

Chrysaphius, origine servus, tantam Theodosii imperatoris adeptus est gratiam, ut ab eodem ad maximas aulae imperialis dignitates, etiam protospatharii, eveheretur, tantoque influxu in imperatorem pollebat, ut vel ipsa imperatoris soror, Pulcheria, eo instigante, ex aula secedere debuerit (2). Erat autem Eutyches huius Chrysaphii in baptismate patrinus, quapropter, et forsan etiam alia sinistra ratione ductus, Chrysaphius eum in sedem episcopalem Constantinopoleos efferre studebat, quod studium Flavianus, electionem in episcopatum acceptando, frustratus est. Non una hac de causa Flavianus Chrysaphio odio fuit. Erat enim in praesulum constantinopolitanorum electione imperatori, vel etiam praecipuis aulae imperialis proceribus sic dicti panis euchologici in amicitiae signaculum mittendi mos, qui tamen cito aviditate aulicorum in aurea dona commutari incepit. Quum igitur Chrysaphius a Flaviano solum panem euchologicum dono accepisset, aurea sibi dona dari velle aperte manifestavit; quumque a Flaviano, eo quod thesauri episcoporum ad ecclesiae et pauperum bonum pertineant, id ipsi denegatum fuisset, adhuc magis odio in eum exarsit (3).

---

(1) P. Jugie in art. « Eutichès » (Vacant-M. Dictionaire vol. V. col. 1589 sq.) doctrinam Eutychis orthodoxe explicat. Sed alia est quaestio, num Eutyches eam ita intellexerit?

(2) Mourret, o. c. p. 465.

(3) Idem p. 471, nota 1. Alii auctores de pane euchologico imperatoribus dumtaxat mittendo loquuntur. (Vide Rohrbacher, o. c. IV p. 595).

Alter, i. e. Dioscorus, erat quondam S. Cyrilli diaconus, postea autem familiae eius persecutor crudelis. Avidus enim ut erat, aerarii in luctam contra Nestorium exhausti Cyrillum culpabat; quapropter, Chrysaphio connivente, Cyrilli haeredes omnibus spoliavit substantiis. Rapacitate sua vero nomine flagellum Aegypti effectus est. Divitiis undequaque ita congestis, ut animos sibi Alexandrinorum devinciret, panes et vinum popello pretio vilissimo venalia dedit. Hic igitur vir audax et superbus, potestatem sedis Constantinopolitanae in dies videns crescentem suamque sedem postpositum iri merito timens, omnibus, ut aiunt, ungulis non modo potestati huic crescenti semet opponere, sed et sedem suam super omnes alias sedes orientales extollere in mente habuit. Conscientia autem callo obducta, media quaeque amplectitur. Hanc a Dioscoro non multum abludere imaginem, concilii Chalcedonensis acta probant (1).

Eutyches ergo, intercapedine illa a concilio obtenta usus est ita, ut Chrysaphii sibi in causa imminenti protectionem conciliaret. Nec hic cunctabundus et deses remansit, sed statim imperatori res fidei in concilio sub Flaviano periclitari susurravit; imperator vero ei obsecundans extemplo patritium Florentium, ut sui vices ibi ageret, in concilium misit. Demum Eutyches, omnibus a Chrysaphio ita dispositis, militum et monachorum caterva protectus, in concilio apparuit, ibique Chrysaphio et imperatori nimium fidens, post disceptationem diuturnam cum patribus, qui eum omnibus argumentorum modis ad resipiscentiam adducere satagebant, in gyrum angustum saepe compulsus atque contradictionibus continuis involutus, eo devenit, ut omni verecundia deiecta palam et pertinaciter haeresim suam profiteretur; quamobrem eum 30 episcopi et 23 abbates, nihil aliud quam fidei integritatem veriti, modo sollemni excomunicavere, ab ordine sacerdotali prohibuere et a claustro regendo deposuere.

(1) Labbe, VI, 1006-1042.

§ 2. — Latrocinium ephesinum.

Eutyches ira efferbuit! Episcopis ex sessione profectis, cum patritio Florentio communicavit, se ad Papam provocaturum esse; et, quum domum rediens, a populo, qui eius condemnationem cognoverat, opprobriis et ignominiis exceptus esset, suam ad imperatorem querelam direxit (1). Nec satis! In plateis et vicis, ubi suam doctrinam iustificare necnon sententiam concilii in se latam iniustam esse demonstrare conabatur, contestatorios libellos affigi procuravit (2), simulque re vera Leoni, Pontifici Romano, litteras, quibus contra concilii illius sententiam reclamat et Constantinopoli denuo nestorianismum pullulare, seseque defensorem fidei Nicaenae esse Papae insinuat, perite compositas misit. Insuper favore Chrysaphii et imperatoris fretus, nihil omisit, quominus sententiam concilii frustraret. Hinc praeprimis novum actorum concilii, sub praetextu quod Flavianus ea corrupisset, obtinuit examen (3). Machinatione hac — acta enim incorrupta inventa fuere — Eutyches nihil sibi profecit, nec tamen coepto destitit. Apud Dioscorum nunc, qui ut diximus, torvo oculo sedis Constantinopolitanae prominentiam aspiciebat, ac proinde Flavianum alicubi supplantare in deliciis habuisset, auxilia petiit. Nec ille tergiversatur. Simul cum Chrysaphio imperatori, qui de novo concilio universali convocando, ut fama ferebat (4), meditabatur, quantocius illud congregandum proposuit. Papa et Flavianus conatui huic fortiter restiterunt, in cassum tamen. Imperator triumviratui illi, Chrysaphio, Dioscoro et Eutychi scilicet, semper magis in amicitia concrescenti, potius quam christianitatis capiti obsecundare praeferens, convocationem ad concilium Ephesi mense augusto exordiendum, die 30 Martii anni 449 proclamavit, illique iam antecedenter praesidem Dioscorum, scripto 3 Kal. Apr. ad hunc directo nominavit (5)... Theodo-

(1) Mourret, o. c. 470.
(2) Hefele, II, p. 334.
(3) Hefele, o. c. p. 340 sq.
(4) Ep. 2. Flaviani ad Leonem. Labbe, V, 1355, in fine.
(5) Labbe, VI, 587 sq., Hefele, I, p. 44; II, p. 352.

sius papam quoque, ut personaliter concilio assisteret, invitavit: attamen, quum illum Eutychis doctrinae adversum esse optime ratus esset, et ab Hunnis, qui ad muros iam Urbis accedebant, ab accessu ad concilium praepediri probe sciret, quumque ipsi nimis tarde litteras invitatorias, quamquam supplices [1], misisset, necnon Dioscorum concilii praesidem designasset [2]; non Papae praesentiam, sed eiusdem in concilium, ut istud aliquam saltem legitimitatis formam praeseferre videretur, consensum desiderasse censendus est. Papa igitur, quum Theodosium a convocatione concilii avertere non potuisset, et quamvis nihil boni inde speraret [3], ne suo deesset muneri, neve imperatorem consensu suo denegato exasperaret, Iulianum episcopum, Renatum, Hilarum, et Dulcitium (simul cum altera ad Flavianum celebri dogmatica, et altera ad synodum directa epistola), ut concilio nomine suo assisterent, misit legatos.

Initio mensis Augusti, prout stabilitum fuerat, Ephesi in ecclesia B. Mariae Virginis, concilii nefasti sessiones inchoabantur. Aderant ibi, ut concilii acta comprobant, 127 episcopi necnon 8 quorumdam episcoporum vicarii [4]. Iamiam omnia in Eutychis favorem bene disposita erant. Adversarii namque eius, ut Theodoretus Cyrensis, ab imperatore antecedenter a concilio excludebantur [5]; alii autem, ut Ibas Edessenus, in carcere custodiebantur [6]. Contra autem, Barsumas, archimandrita quidam ex Syria, adversus canones ad instar episcoporum in concilium cum iure decisivo mittitur [7]. Itaque Dioscorus concilii sessiones, legatis Pontificis Romani postpositis, per primicerium notariorum, Ioannem, imperatoris nomine inauguravit. Legati Papae statim eiusdem ad synodum litteras legendas protulerunt: quarum tamen Dioscorus, quamvis iuramento eas lectum iri affirmasset, diversis machinationibus adhibitis, iterum iterumque lectionem praepediebat. Quapropter legati, in post-

(1) Cfr. Labbe, V, 1404 nota 29.
(2) Ep. 31, cap. IV, Labbe, V, 1404.
(3) Hefele, II, p. 368. (4) Hefele, II, pag. 369.
(5) Ep. imperatoris ad Dioscorum, Labbe, VI, 590.
(6) Mourret, p. 471. (7) Labbe, VI, 594.

positionis suae necnon denegatae lectionis epistolae detestationem, sessionem deseruerunt, denuo illuc postea reversuri non iam ut Papae partes ibi agerent, oppressionem enim imminentem cernebant, sed ut testium ocularium modo omnia scirent et eidem referre possent.

Re vera, synodus sub Dioscori et Elpidii, imperatoris commissarii influxu, brevi manu non in fidei quaestiones dilucidandas, sed in episcoporum persecutionem conversa est. Theodoretus, Ibas et multi alii absque ullo processu canonico, quin ullus in concilio semet defendere posset, ordine deponebantur. Dioscori decisiones acclamationibus: « Longa vita synodo, longa vita imperatoribus, Spiritus Sanctus locutus est per Dioscorum ! », a suis assentatoribus excipiebantur. Et quum Dioscorus in eo esset, ut et Flavianum deponeret, multique hunc procedendi modum non approbarent, Dioscori assentatores vociferabant: « Qui tacent, haeretici sunt ! », et quum Dioscorus, ut tacentes perterreret, exclamasset: « Universa autem, quae acta sunt, innotescant piissimis et Christianissimis imperatoribus ! », Flavianus reclamabat voce alta: « Appello a te » Hilarus autem solemni modo inclamavit dicendo: « Contradicitur !... » (κοντραδίκιτουρ. ὅ ἐστιν: ἀντιλέγεται.) [1].

Haec ultima exclamatio, quae auctoritatem superiorem Dioscoro, Romani scilicet Pontificis, omnibus in mentem revocabat, vehementissime eundem irritavit. Oculis ira scintillantibus extra se raptus videbatur. Et, quum aliqui eius amici tranquillitatem ei suaderent, alii autem ad eiusdem genua provoluti moderationem peterent, iste omnem humanitatem oblitus, ad instar belluae sauciatae omnia prosternere volens omniaque susque deque habens, in voces furibundas prorupit: « Seditiones mihi movetis? Da comites ! Ubi sunt comites ?! » [2].

Ad has voces Elpidius et Eulogius, vicarii imperiales, omnes ecclesiae portas et valvas patefaciunt; manus militum necnon caterva Barsumae sodalium in locum sanctum irruit, notariis episcoporum acta inscribentibus extorquent

(1) Labbe, VI, 907, cfr. Rohrbacher, p. 622. (2) Labbe, VI, 831.

et digitos fere perfringunt; Flaviano silentium imponunt eiusque comites in catenas coniiciunt; summis terroribus episcopos ad subscribendas non scriptas membranas cogunt et alia similia committunt. In perturbatione et tumultu percrebrescenti Hilarus fuga semet salvat; et quum Flavianus quoque idem facere conatur, Dioscorus humi eum prosternit, calcibusque ita contundit, ut paucis diebus post animam, martyr fidei, expiret. In perturbatione inenarrabili vociferatio resonat Barsumae: « Occide, occide! » (1), violentiasque crudeles adauget!...

In tali igitur synodo Eutyches, plaudente Dioscoro, omissis ex symbolo Nicaeno verbis: « Qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine », fidem suam exposuit atque in pristinam dignitatem restitutus est, Flaviano autem successor Anatolius nominatus fuit.

Inauditae violentiae necnon omnium canonum contemptionis causa, synodus haec a papa Leone « latrocinii ephesini — σύνοδος ληστρικὴ » nomen sortita est, quod nomen ipsi merito datum esse, iustae mentis negabit nemo (2).

§ 3. — Concilii Chalcedonensis praeparatio.

Latrocinio peracto, Dioscorus et Eutyches (imperator enim acta eiusdem latrocinii absque haesitatione ex parte sua approbaverat) victoriae triumpho exultabant. Victoria tamen haec pacare animos non poterat, imo scissionem in ecclesiis auxit. Aegypti enim, Thraciae et Palestinae episcopi Dioscoro obsecundabant; dum alii, Syriae, Ponti et Asiae, fidei conculcatae et Flaviani, iniuste damnati, causam

(1) Mourret, p. 475.

(2) Tamen Harnack ita scribit: « Dass Flavian halb todt getreten worden sei, ist nichts weniger als sicher, und den Namen « Räubersynode » (Leo, ep. 95) verdient eine Synode nicht, die mehr als irgend eine andere das Interesse und die Tradition der damaligen Frömmigkeit zum Ausdruck gebracht hat. Es war, stellt man sich auf den Standpunkt der Kirche des Orients, wirklich etwas Grosses erreicht »... (Lb. d. Dg. p. 363). Quibusnam documentis historicis innixus Harnack talia scribere potuerit, omnino nos latere sinit!...

sustinere non destiterunt (1). In perturbatione communi omnium fidei catholicae amatorum necnon a Dioscoro oppressorum, Romam, ad Papam, oculi vertebantur. Hic autem, de omnibus quae Ephesi acciderant, ab Hilaro, qui ei nuntium tristem de his Romam detulit, optime instructus, nullam passus est moram quin fidei conculcatae atque iniuste oppressis suppeteret. In synodo itaque, quae Romae in adventu Hilari iam congregata erat, omnia quae Ephesi gesta fuerant, vana atque irrita esse declaravit. Num insuper Dioscorum et Eutychem ibi excommunicaverit, non est certum (2). Neque alia intentata reliquit, ut maculam illam turpem a latrocinio ephesino ecclesiae orientali impactam, quam primum dilueret. Quapropter statim Theodosio binas scribit litteras, quibus eundem hortatur, ut usque ad novam synodum universalem congregandam, omnia, prout a Nicaena synodo stabilita fuerant, latrocinio valore nullo tributo, sarta tectaque persistere sinat (3). Eodem tempore scribit et Pulcheriae, deprecando eam, ut apud imperatorem intercedat, quatenus synodus universalis in Italia, ipso adiuvante, congregari possit (4). Etiam aliis diversas mittit epistolas. Ita Flaviano, nesciens eum iam e vivis decessisse (5), Anastasio Thessalonicensi (6), Iuliano Coensi (7), sacerdotibus et populo Constantinopolitano (8), archimandritis Fausto et sociis (9), ac denuo imperatori Theodosio, concilium universale in Italia congregandum petens (10).

Hoc tempore, i. e. mense februario a. 450, accidit, ut imperator Occidentis, Valentinianus, cum matre sua Placidia atque uxore Licinia, quae Theodosii erat filia, Romam advenerit, veneraturusque S. Petrum, principem apostolorum, ad eius basilicam accesserit. Occasione hac Leo utens, obviam familiae imperiali cum numerosis sacerdotibus processit, tantaque eloquentia et animi commotione ecclesiae in Oriente statum tristissimum descripsit, ut tam imperator,

(1) Hefele, II, 389.
(2) Ibidem.
(3) Ep. 43, 44. Labbe, VI, 7, 14.
(4) Ep. 45. Labbe, VI, 19.
(5) Ep. 49. Labbe, VI, 28.
(6) Ep. 47. Labbe, VI, 27.
(7) Ep. 48. Labbe, VI, 28.
(8) Ep. 50, Labbe, VI, 29 sq.
(9) Ep. 51, Labbe, VI, 34 sq.
(10) Ep. 44, Labbe, VI, 45, 46.

quam imperatrices in omnibus eum fulcire promptos sese monstrarint. Nec promissis defuerunt, nam revera imperatori Theodosio necnon Pulcheriae litteras de hac re direxerunt; illi, ut petitioni Papae satisfaciat, peramice suggerentes, huic vero, ut fratrem ad idipsum praestandum suis precibus commovere adlaboret (1).

Interea Papa denuo sacerdotibus et populo Constantinopolitano, errorem Eutychis refutando, scribit (2), speciatim vero Martinum et Faustum, presbyteros, monet, ut populo rectam fidem manifestent (3). Pulcheriam autem iterum rogat, ut concilii causam pro viribus promovere studeat (4).

Omnia tamen haecce Leonis conamina imperatoris, seu potius Chrysaphii, cuius Theodosius instrumentum erat, frustrabantur pertinacia; imperator enim in synodo ephesina omnia iuxta veritatem atque libertatem « sacro iudicio » disposita fuisse, et Flavianum, novatorem fideique orthodoxae perturbatorem, poenas suas merito accepisse respondit, ac tam Leonis quam Valentiniani ac imperatricum illiberaliter petitiones abnuit (5).

At Leo constanti remansit animo et quidem non frustra. Anatolius enim, qui, ut iam vidimus, a Dioscoro episcopus Constantinopoleos creatus erat, Leoni, ut in communionem cum Ecclesia Romana se reciperet, litteras supplices mandavit (6); hoc eodem sensu et imperator, ut Anatolium agnosceret, Leonem rogavit. Hic tamen, quia Anatolius a Dioscoro ordinatus erat, prudenter communionis cum Anatolio ineundae ad tempus suspendendo consensum, imperatori respondit, se, si Anatolius professionem fidei, prout in epistola dogmatica ad Flavianum missa continetur, propria manu signatam Romam mittere, necnon omnes, qui aliam de Christi incarnatione tenent doctrinam, communione sua privare promptus fuerit, eundem in communione recepturum: quod-

(1) Ep. 55, 56, 57, 58. Labbe, VI, 50-58.
(2) Ep. 59, Labbe, VI, 58. (3) Ep. 61, Labbe, VI, 65.
(4) Ep. 60, Labbe, VI, 64. (5) Ep. 62, 63, 64. Labbe, VI, 67-71.
(6) Existit solum framgementum. Ep. 53, Labbe, VI, 43. Ad quod factum Rohrbacher: « Il qual atto equivaleva allora pel novello vescovo a una bolla d'istituzion canonica » (IV, p. 634).

que ut facilius et celerius obtineri possit, legatos suos Constantinopolim se direxisse, imperatori notificat (1). Eadem occasione ad Pulcheriam et archimandritas, ut legatis suis subsidio essent, litteras commendaticias direxit (2).

Hanc rerum mutationem Dioscorus quoque fama percepit. Videns igitur ille imperatorem et Anatolium ad Papam recurrisse, huncque ab Anatolio damnationem erroris eutychiani exegisse, absque mora, decem secum sumens episcopos, ad aulam imperialem, procul dubio reclamaturus, viam suscepit. At vix Nicaeam ingressus, eousque dementiae venit, ut ibi excommunicationis sententiam in Papam proferre ausus sit (3), certe non ominans, se brevi omnibus, qui audaciae suae patrocinarentur, destitutum fore; Theodosius enim, 28 Iulii 450 venatum exiens et ex equo cadens cervices suas fregit, atque die postero expiravit; Chrysaphius vero paulo post delictorum suorum capitis poenam luit, nam Pulcheria malum daemonem hunc fratris sui dignae factorum suorum sorti destinavit (4).

Pulcheria imperio potita, statim adiutorio sibi in regimine opus esse perspexit; quapropter, plaudente exercitu et populo, Marcianum, ducem militarem necnon senatorem eximium, virtutibus selectis, praesertim fidei orthodoxae professione exornatum, in matrimonium atque imperii potestatem sibi coniunxit. Unde Dioscorus potentiae propriae necnon totius causae eutychianae conquassationem praevidens, ut utramque salvaret, extrema tentare non omiserat; qua de causa in Aegypto seditionem, exitu tamen sibi adverso, contra Marcianum movit; itaque caeteris suis, laesae maiestatis adiecit crimen (5).

Legati Papae, ad Theodosium missi, quum Constantinopolim pervenerunt, Pulcheriam iam cum Marciano imperantem invenerunt. Comitate magna excepti, statim cum Anato-

(1) Ep. 69, Labbe, VI, 83. (2) Ep. 70, 71. Labbe, VI, 86, 88.

(3) Rohrbacher, p. 635.

(4) Res tamen incerta est, nam Nicephorus (l. XIV, c. 49) Chrysaphium Theodosio adhuc vivente gratia excidisse et punitum fuisse affirmat. (Cfr. Marković, I, p. 172; Hefele, II, p. 395).

(5) Hefele, II, p. 449.

lio de rebus fidei pertractare inceperunt. Congregata igitur synodo permanenti, Leonis ad Flavianum tomus perlegebatur; quo lecto, omnes episcopi et alii, qui synodo intererant, illum et probavere et prompte subscripsere (1).

Non diu post haec Marcianus et Pulcheria Papae suas dirigunt epistolas, quibus imperator ab eo pro felici regimine apud Deum intercessionem petit (2); imperatrix vero tomum eiusdem ab Anatolio subscriptum, Flaviani corpus Constantinopolim pompa magna translatum, necnon episcopos relegatos suis locis restitutos esse notum facit (3). Parvo intervallo elapso, imperator denuo Papae scribit, rogans eum, ut iam aliquid de concilio universali determinet (4). Utrum Leo hanc ultimam epistolam non satis tempestive acceperit, an alia ex causa ad illam respondere consulto abstinuerit, non certe patet, nam in litteris 13 Aprilis 451, ad imperatorem directis, nec verbum quidem amplius de concilio universali facit (5); postea autem, quum iterum hac de re ab imperatore interpellatus fuisse videatur, rescripsit ipsi dicendo, nulla alia re amplius opus esse, quam videre, quum multi episcopi tomo iamiam subscripsissent, quinam adhuc et quibusnam sub conditionibus ad ecclesiae reconciliationem admittendi essent; quod autem concilii convocationem attineat, a legatis Lucentio et Basilio oretenus, quid agendum, eundem percepturum esse communicat (6).

---

(1) Hefele, II, 397.
(2) Ep. 73. Labbe, VI, 94.
(3) Ep. 77, Labbe, VI, 102.
(4) Ep. 76. Labbe, VI, 98.
(5) Ep. 78. Labbe, VI, 103.
(6) Reiicienda est igitur Harnacki affirmatio: «Bei diesem Umschwung der Dinge [subscriptio tomi ab Anatolio et aliis episcopis!] fiel für Leo jeder Wunsch nach einem Konzil weg, weil ein solches doch stets eine gefährliche Action für den Papst bedeute. Er nahm jezt die Haltung ein, dass man an seinem Briefe genug habe; dass die Bischöfe einzeln auf diese Lehre zu verpflichten seien»... (Lb. d. Dogg. II, p. 365), nam: α) Harnack in toto hoc negotio nihil nisi politicam artem Leonis videt, quod est falsum (cfr. Kuhn, o. c. p. 5). β) Leo concilium vere universale, quod tantum in Italia fieri poterat, desiderabat; imperator vero papam in Orientem invitabat. (Ep. 76. Labbe, VI, 98). Et haec est causa probabilis, cur tam diu imperatori non respondeat. γ) Si concilium papatui periculosum fuisset, non auctoritate, sed alio modo «po-

Legati hi cum epistolis ad imperatorem, Pulcheriam et Anatolium 9 Iunii scriptis, Constantinopolim missi sunt. In epistola ad imperatorem directa Papa eum rogat, ut a concilio convocando, quum episcopi occidentales bellicosis rerum vicissitudinibus suas relinquere sedes praepediantur, tempora propitiora expectans, impraesentiarum desistat (1).

Nimis tarde tamen! Marcianus enim, legatis nondum pervenientibus, semper adhuc concilii convocationem a Papa desiderari credens, die 17 Maii anni 451 ad concilium omnes Orientis metropolitas, et quos ipsi secum adducere episcopos voluerint, Nicaeae mense Septembri inchoandum invitavit.

Notitia huius rei percepta, papa iterum, quum citra perturbationes maximas nihil mutare posset, suos ad concilium destinavit legatos: Paschasinum, episcopum Lilybaei (hodie Marsala in Sicilia), et Bonifacium presbyterum, qui cum Iuliano Coensi necnon cum Constantinopoli iam degentibus, Lucentio et Basilio, in concilio, praesidente in eo Paschasino, sui vices gererent (2). Ipsis etiam exemplar tomi ad Flavianum, pluresque epistolas in Orientem portandas commisit (3).

---

litico » Leo procedere debuisset, quod tamen non fecit. Insuper non vult suppressionem concilii, sed illud, « opportuniori tempori propitiante Domino.... reservari ». (Ep. 83 Labbe, VI, 114). ε) Non modo nunc, sed semper tenuit « dass man an seinem Briefe genug habe », nam iam Theodosio scribebat:.... « ut si scripta quae... ad Flavianum Episcopum [legati] detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset.... omnium concertationum strepitus quievisset ». (Ep. 44. Labbe, VI, 14). Insuper ab Anatolio subscriptionem exigit inconditionatam. (Ep. 69. Labb. VI, 83). Denique in concilio ipso regula erat: « Subscribant epistolae Leonis. Qui non ei subscribit, haereticus est ». (Actio IV, Labbe, VII, 54-55). ξ) His addere possumus principium catholicum, iuxta quod concilia non sunt absolute necessaria, iam tunc temporis notum fuisse, nam Flavianus initio discordiae ita Papae scribit: « Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio.... prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse Synodus ». (Ep. 26. Labbe, V, 1355).

(1) Ep. 83. Labbe, VI, 114, (2) Ep. 89, Labbe, VI, 126.

(3) Ep. 90, 91, 92, 93. Labbe, VI, 127 sq.

Tempore igitur indicto, episcopi Nicaeam convenerunt; verumtamen, imperatorem, qui concilio se interesse velle ipsis notificavit, expectantes, sessiones ipso absente exordiri nolebant. Denique expectatione longa lacessiti, atque senectute vel morbis vexati, Marciano scripserunt, se diutius expectare non posse: quapropter Marcianus totum concilii apparatum Chalcedonem, civitatem sibi propinquam, transferri mandavit; ubi 8 Octobris et diebus sequentibus anni 451 synodus celeberrima, de qua agimus, locum habuit.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

CONCILII CHALCEDONENSIS BREVIS DESCRIPTIO

Collectores conciliorum sexdecim huius concilii numerant sessiones vel actiones. Utrum autem cum Hefele, qui speciosam confecit tabellam, graecum et latinum earumdem computandi modum exhibens, ad 21 extendendae sint necne, quum argumenta pro thesi nostra semper eadem subministrent, nostra parum interest [1].

Quaedam tamen, ante sessionum descriptionem, notatu digna sunt. In concilio non solum legati Papae et episcopi, sed et imperiales delegati praesentes aderant. Saepe in actis « iudices » et « senatus » nominantur. Qui erant isti et quas in concilio partes agebant? Erant hi imperatoris et senatus delegati, qui concilii tranquillitatem tueri deberent ac ordinem rerum gerendarum proponerent. Vocabantur autem iudices (ἄρχοντες) non ex munere iudiciali sibi deputato, sed titulo magnifico, significante « magnates » vel « proceres » [2]. Iudices in hoc concilio erant: Anatolius, Vicomalus, Sparachius, Genethlius; senatum autem decem repraesentabant viri: Florentius, Monnus, Protogenes, Zoilus, Apollonius, Theodorus, Romanus, Arthaxerxes, Constantinus, Eulogius, qui omnes diversa et honorifica in imperio obibant munera. Isti « iudices et senatus » nullo modo quaestionibus fidei sese immiscere poterant, optimeque se non concilii partem constitutivam efficere sciebant, neque ullatenus concilii acta subsignabant. Hinc quamquam praesidium, ut ita

[1] Hefele, II, p. 411 sq.

[2] Hefele, p. 420, nota 2.

dicam, materiale, in concilio ipsi gerebant, decisiones tamen non ab illis, sed a legatis papae, qui non modo primi vota ferebant, sed re vera, ut postea videbimus, in spiritualibus soli erant praesides, vim suam sortiebantur. Hoc enim modo synodus ipsa tam iudicum et senatus, quam legatorum Pontificis Romani praesidentiam concipiebat [1].

Quibus praemissis, res in concilio pertractatas, ne postea earum moles demonstrationis perspicuitatem impediat, videamus.

a) Actio prima. Actione vix incepta, delegati Pontificis Romani statim Dioscorum iussu Papae e sessionibus excludi debere declararunt. Cui petitioni satisfactum est ita, ut Dioscorus, remanendo quidem in ecclesia, inter accusatos tamen secedere debuerit. Post haec Eusebius Dorylaei suam contra Dioscorum causam discutiendam porrexit. Dioscorus in sui defensionem praeprimis actorum concilii, quod sub Flaviano obtinuit, lectionem fieri poposcit; at videns hoc idem ab Eusebio quoque desiderari, dogmaticam de vera fide christologica perquisitionem institui exigebat, qua in re repulsam perpessus est. Quum interim Theodoretus Cyrensis in synodum admissus fuit, vociferationes ab aegyptiacis episcopis contra eum suscitatae sunt vehementes, quibus similiter contra Dioscorum orientales reponebant. Clamoribus his iudices et senatus finem fecerunt, lectionem actorum concilii Constantinopolitani et latrocinii ephesini indicentes. Ex hac lectione tam Flaviani orthodoxia, quam Dioscori perfidia semper magis clarescebant. Qua re perspecta, huius amicorum numerus pedetentim diminuebatur, et multi episcopi, qui Ephesi in latrocinio adfuerant, se timore solo et vi coactos Dioscori placitis subscripsisse palam confitebantur. Quibus perpensis, iudices et senatus Dioscorum necnon fautores eius, Iuvenalem Hierosolymitanum, Thalassium Caesariensem, Eusebium Ancyrensem, Eustathium Berytensem et Basilium Seleucensem, eadem poena, qua ipsi iniuste Flavianum cae-

[1] Hefele, p. 421, et Ep. 98. Labbe, VI, 147: « Quibus tu quidem sicut membris caput », etc. De primo loco legatorum cfr. Baronium, VIII, p. 89 sq.

terosque episcopos affecerant, depositione videlicet, synodo plectendos proposuerunt.

b) Actio secunda. Ab hac sessione absentes erant Dioscorus et episcopi, qui in sessione superiore deponendi propositi sunt. Commissarii imperatorii episcopos rogant, ut fidei exhibeant formulam, qua quaenam recta sit fides ostenderetur, et sic de eâdem errantes a deviatione revocarentur. Episcopi tamen initio contra petitionem hanc reluctabant dicentes nullam « ἔκθεσιν » novam esse formandam, Leonisque tomum ad rectae fidei declarationem satis esse aiebant. At commissariis insistentibus eo ventum est, ut documenta fidei: symbolum nicaenum et constantinopolitanum, litterae S. Cyrilli contra Nestorium et denique tomus Leonis coram patribus perlegerentur. Quae omnia plausu maximo et approbationibus episcoporum excipiebantur. Nihilominus quaedam Leonis expressiones Illyricianis et Palaestinensibus episcopis adhuc non satis clarae apparebant; quapropter quinque interstitiorum dies determinati sunt, ut dubitantes melius instruerentur. Sub fine sessionis Illyrici episcopi synodum pro latrocinii auctoribus, ut iisdem indulgeretur, adprecari inceperant: quod magnos denuo excitavit contra Dioscorum clamores. Hos iterum commissarii sedavere breviter, aientes apud Anatolium, ut dictum erat, novam fidei formulam exaratum iri.

c) Actio tertia. Interstitiorum triduo vix elapso, patres denuo in eadem synodi ecclesia congregati sunt. A sessione hac, quum de Dioscori sorte decidendum esset, tam iudices, ne ipsi episcopos ad condemnationem proferendam adigere; quam Dioscori amici, ne in eius perniciem adlaborare viderentur, sese abstinuerunt. Sessionem Aëtius, primus concilii notarius, inauguravit, cum patribus communicando se ab Eusebio Dorylaei alterum contra Dioscorum accepisse libellum, quem se perlergere, si ita ipsis placuerit, paratum esse declaravit. Ad quae verba Paschasinus, sese a Papa concilii praesidem nominatum fuisse, Aëtio in mentem revocavit, ideoque opus esse, ut sua interlocutione omnia fierent; et tunc Aetium libellum hunc perlegere iussit. Dioscorus, bis vocatus, ut se contra accusationes defenderet, apparere recusavit. Interim autem alii quoque accusatores

accesserunt: clerici quidam et laici urbis Alexandrinae Theodoro duce; deinde diaconus Ischyrion; deinde Athanasius, sacerdos Alexandrinus, et denique laicus Sophronius. Testimoniis indubiis Dioscorus criminum horribilium reus esse reperiebatur. Tertio igitur vocatus, ut a facinoribus nefandis sese purgaret, crimina sua sicut et impossibilitatem semet defendendi certe videns, obstinate concilii praesentiam fugit, modo Pilati aiens: « Quod dixi, dixi: et haec mihi sufficiunt [1] ». Hinc, legatis Pontificiis ita decernentibus, Dioscorus, eo quod: α) Eutychem in communionem recepit; β) tomum Leonis Ephesi a lectione prohibuit; γ) excommunicationem in Leonem proferre conatus est; a tota synodo tam episcopatu, quam omnibus functionibus ecclesiasticis privatus esse solemniter declaratus est [2].

d) Actio quarta. In hac sessione denuo apparent commissarii imperiales, qui statim ab episcopis, num et quid de fide decreverint, exposcunt. Ad quae Paschasinus, nomine omnium, nullam praeter eam, quae in symbolo nicaeno et constantinopolitano stabilita et in Ephesino a S. Cyrillo exposita et nunc in tomo Leonis declarata est, fidei adiunctionem vel demptionem a synodo hac admitti declaravit. Ita se sentire omnes quoque episcopi affirmarunt. Commissarii ab episcopis, ut tomum Leonis cum symbolo nicaeno et constantinopolitano consentire iuramento declararent, expetivere. Episcopi, Illyricianis et Palaestinensibus nunc amplius non exceptis, statim declaraverunt, se iam tomo Leonis subscripsisse, immo votis in tomum ultro denuo datis, poposcerunt, ut Iuvenalis et episcopi prius exclusi, utpote qui tomo iam itidem subscripsissent, in synodum denuo admitterentur. Res imperatori delata est; hic tamen decisionem hac in re synodo omnino liberam reliquit. His tamen quaestio de formula fidei, ut in sequenti sessione videbimus, nondum soluta fuit. Imperator enim ipse, ad praecavendas disceptationes christologicas futuras, a synodo formulam praecisam exarari cupiebat.

---

[1] Ita versio apud Binium, tom. II, col. 191, cfr. Labbe, VI, 1039.
[2] Labbe, VI, 1047.

Post haec episcoporum aegyptiacorum, qui cum Dioscoro ad synodum accesserant, quique diu Eutychem et Dioscorum damnare tergiversabantur, sicut et monachorum eutychianistarum causa examinata est. Denique causa Photii Thyrensis, qui Eustathium Berytensem in dioecesim suam iurisdictionis usurpatae accusabat, discussa est. Notatu dignum, quod episcopi, quia Photius imperatoris nutu sese egisse affirmabat, in huiusmodi quaestione omnium decretorum imperialium abrogationem solosque canones valituros deinceps exegerint.

e) Actio quinta. In hac sessione iterum iudices de formula fidei quaestionem moverunt. Et revera formula aliqua, quae tamen actis non est inserta, probabiliter ab Anatolio cum consensu multorum episcoporum composita, iam praeparata erat. Hinc illam Asclepiades, diaconus Constantinopolitanus, extemplo in medium protulit. Haec formula, certe inscientibus legatis composita, nestorianismum quidem reiiciebat, eutychianismum autem non tam clare damnabat, neque doctrinae Leonis mentionem faciebat. Huic formulae Ioannes Germaniciae et quidam episcopi orientales, supra omnes autem legati Papae sese opposuere. Anatolius autem cum Cecropio, et praesertim Illyriciani episcopi omnimode eandem sustinere conabantur, immo Anatolius eousque progressus est, ut aperte affirmaret: « Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni, et tertio vocatus est, et non venit, et ideo damnatus est » [1]; ac si voluisset dicere, non adesse aliquam haeresim novam, quae expresse damnari deberet. Quapropter legati severiore modo processerunt. Prius et ipsi elaborationem novae formulae evitare volebant; quae tamen si semel statuenda esset, talis esse debebat, ut ea haeresis eutychiana expresse damnaretur; quod si episcopi denegaturi essent, rescripta sibi dari poposcerunt, ut reverti possent. Iudices et senatus statim inde toti synodo periculum imminens perspexerunt. Hinc imperatorem, quid faciendum esset, consuluerunt. Hic autem synodo nuntiavit,

[1] Labbe, VII, 103.

aut a speciali ad id destinato episcoporum numero formulam omnino indubiam componendam, aut novam synodum, ubi talis fidei formula elaboraretur, in Italia congregandam esse. Neque haec statim iuvarunt, nam numerosiores episcopi adhuc formulam Anatolii sustinebant, immo Illyriciani clamabant: « Qui contradicunt, manifesti fiant. Qui contradicunt Nestoriani sunt. Qui contradicunt Romam ambulent » (1). (Videlicet ad novam synodum, quae ab imperatore indicabatur!). Sed et senatus et iudices illogicam hanc esse resistentiam episcopis his faciliter demonstrarunt, nam optime ante eos hoc dilemma statuerunt: « Dioscorus dicebat: Quod *ex* duabus naturis est, suscipio, duas non suscipio. Sanctissimus autem archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse *in* Christo unitas inconfuse, inconvertibiliter et indivisibiliter in uno unigenito filio salvatore nostro. Quem igitur sequimini? sanctissimum Leonem, aut Dioscorum? » (2). Episcopi, qui iam omnes Leonis tomo subscripserant, responderunt: « Ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt eutychianistae sunt. Leo recte exposuit » (3). Ad quod iudices: « Ergo addite definitioni, secundum iudicium sanctissimi (patris) nostri Leonis duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, et inseparabiliter, et inconfuse » (4). Huic deductioni episcopi, nisi sibi ipsi contradicere voluissent, cedere debebant. Quid autem reapse ad hoc responderint, ignoramus, acta enim hic lacunam praeseferre videntur, nam statim novae definitionis, in qua Leonis doctrina inserta est, elaborationem eiusque in concilio lectionem exhibent.

Nota: Hefele celebrem illam imperatoris ad synodum allocutionem in fine huius sessionis ponit. Re vera haec allocutio vel in fine huius sessionis lecta fuit, vel initio sequentis sessionis ab ipsomet imperatore ore prolata est.

f) Actio sexta. Sessio haec, imperator namque cum imperatrice in synodum advenerat, pompis magnis celebrata est. Initio imperator sermone latino, mox in idioma graecum translato, quem omnes plausu maximo prosecuti sunt, patres affatus est. Denuo formula fidei relecta, imperator epi-

(1) Labbe, VII, 106. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid.

scopos interrogavit, an haec omnium persuasionem exhiberet. Cui illi: « Omnes sic credimus: una fides, una voluntas, omnes idipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus, omnes orthodoxi sumus » (1).

Quaestione igitur de fide composita, patres imperatorem, ut domum se abire sineret, rogaverunt; qui tamen eos, quarumdam rerum disciplinarium decidendarum causa, adhuc congregatos manere iussit.

Quae in sessionibus subsequentibus pertractantur, disciplinam, iura ac privilegia quorundam respiciunt episcoporum. Abs re tamen non est ista quoque aliquantulum inspicere.

g) Actiones VII et VIII De iurisdictione in aliquas provincias Maximi Anthiocheni et Iuvenalis Hierosolymitani disceptatio fuit, dissensionesque compositione mutua eliminatae sunt. Eodem die actio octava, in qua episcopi a Theodoreto Cyrensi, quem aliqui nestorianum esse putabant, Nestorii damnationem disertam exigebant, locum habuit. Quod quum ipse praestitisset, ecclesiae suae rector legitimus agnitus est.

h) Actiones IX et X In his duabus actionibus Ibae Edesseni, contra quem accusationes diversae prostabant, quique in latrocinio ephesino depositus fuerat, nunc autem iustitiam petiturus ad synodum accesserat, causa examinabatur. Inquisitione igitur longa et documentorum lectione (a qua latrocinii acta, legatorum iussu, exclusa sunt), Ibas innocens inventus atque ecclesiae suae restitutus est. Hac eadem occasione Maximus Antiochenus, legatorum permissu, Domno, qui in concilio sede Antiochena privatus est, subsidium pecuniarium promisit se daturum.

i) Actio XI Bassianus, Ephesi quondam episcopus, contra violentias a presbyteris et fidelibus suis sibi illatas necnon contra Stephanum, in sui locum intrusum, querimonias in concilio protulit. Stephanus autem, versa vice, eundem Bassianum itidem intrusionis violentae arguebat, illumque a Papa Leone depositum, seseque legitime electum affirmabat. Quia tamen litis huius examen multum iam insumpserat

(1) Labbe, VII, 170.

temporis, commissarii imperiales ad sequentem actionem eiusdem relegarunt decisionem.

k) Actiones XII et XIII Omnibus accurate perpensis, uterque, tum Bassianus tum Stephanus, Paschasino ita exigente, a sede episcopali semoti sunt. Post haec etiam sessio XIII habita est, in qua Eunomius Nicomediensis iura sua ab Anastasio Nicaeno conculcari conquestus est. In qua re, vigore can. 4. Nicaeni, Anastasii praetensiones illegitimae declaratae sunt. Clerici Constantinopolitani, qui tam avide, ut ecclesiae suae iura ac privilegia extenderent, omnem amplectebantur occasionem, etiam nunc (de iurisdictione enim et honore nicaenae atque nicomediensis ecclesiae sermo erat), momentum sibi arrisisse putabant secundum. Hinc statim archidiaconus Aëtius ecclesiae suae privilegia praesumpta in provinciam Bithyniae a synodo sanciri postulavit. Ad hanc petitionem sancta synodus clamavit: « Canones teneant. Canonibus satisfiat! » (1). Spes tamen constantinopolitanorum acclamationibus istis non frangebatur, nam gloriosissimi iudices sessionem concludentes, causam hanc nondum pessumdatam esse satis clare manifestarunt dicendo: « Quaecumque autem sedi Constantinopolitanae sanctissimae ecclesiae.... competunt, haec suo ordine coram sancto concilio examinabuntur... » (2).

Actio XIV Episcopus Sabinianus querelas affert, iuxta quas ipse iniuste episcopatu Perrhae destitutus, sibique Athanasius, hic praesens, vi substitutus esset. Eius querelae, quia et Sabinianus et Athanasius ad diversa, quorum examen statim haberi non potuit, provocabant testimonia, archiepiscopo Antiocheno cum suo concilio solutio finalis a synodo concredita est.

Actio XV Haec sessio eodem die, at legatis Papae nec non commissariis imperialibus iam absentibus, locum habuit. In ea fortasse illi canones, quorum alii codices 28, alii autem 30 numerant, condebantur. Horum duo ultimi certe spurii sunt, alii autem non in hac, sed in VII iam sessione ex diversis conciliis recollecti, dispositi atque confirmati

(1) Labbe, VII, 314. (2) Ibidem.

fuisse videntur; ita ut in sessione hac re vera nonnisi celeber canon 28 ab auctoribus suis elaboratus fuisse videatur. De canone hoc postea fusius agendum erit.

Actio XVI et ultima. Legati Papae contra canonem 28, pridie conditum, solemniter reclamarunt; et quum episcopi, qui illum approbaverant, libere se eidem subscripsisse affirmassent atque illum retractare noluissent, legati contradictionem suam actis concilii inseri postularunt: quod et effectum. Illustrissimi tamen iudices, sessioni finem facientes, hanc observationem addere non neglexerunt: « Quod interlocuti sumus, tota synodus approbavit » (1). Itaque synodi huius celeberrimae sessio ultima misere terminata est (2).

* * *

Ex concilio hoc duae epistolae, altera imperatori, altera autem Papae, missae sunt (3). Utriusque tenorem postea videbimus. Sed hisce res nondum finita erat. Leo enim, quamvis a concilio, imperatore et Anatolio rogaretur ut canoni 28 sua auctoritate vim tribueret (4), constanter huic elationis cupidini restitit. Imperatori igitur rescripsit se non posse Anatolii mentis iniquae desideria approbare, eodemque sensu etiam Pulcheriae scripsit (5). Ad concilii epistolam non directe respondit, sed in litteris ad Anatolium destinatis satis declaravit se de iis, quae de fide peracta sunt, gaudere:... « et ab universali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino quod creditae nobis dispensationis labor ad desideratum pervenit effectum » (6). Attamen, quia Papa in eadem epistola vehementer Anatolii appetentias reprobabat, iste eam publicare noluit. Hinc inter haereticos fama divulgabatur, a Papa concilium approbatum non fuisse. Quapropter imperator denuo eum rogat, ut concilium confirmet (7). Litteris his perceptis, Papa ab Anatolio epistolam suam occultatam fuisse intellexit; unde imperatori

(1) Labbe, VII, 454. (2) Cfr. de toto: Hefele, II, p. 423-544.
(3) Ep. 98, Labbe, VI, 146. (4) Ep. 100 et 101. Labbe, VI, 166 sq.
(5) Ep. 104, 105. Labbe, VI, 187 sq. (6) Ep. 106. Labbe, VI, 198.
(7) Ep. 110. Labbe, VI, 215.

rescribens, denuo eum monet, ut Anatolii ambitum compescat; sed simul ad omnes quoque Orientis episcopos suam concilii disertam mittit approbationem, ita ut nulli amplius ansa dari possit dubio (1). Quum autem imperator re vera Anatolium increpasset, Leo ipsi gratias egit et simul notificavit se concilii approbationem quoad res fidei iam misisse episcopis (2). Papa similia scripsit et Pulcheriae atque Iuliano Coensi (3). Postea autem Marciano nuntiat se paratum esse Anatolium in gratiam recipere, si iste canonibus satisfacere paratus fuerit (4). Denique et ipse Anatolius Papae scribit eique debitam exhibet obedientiam; culpamque canonis conditi in clerum suum atque caeteros proiicit episcopos, simulque cum ipso communicat, se eiusdem quoad Aëtium atque Andream, clericos Constantinopolitanos, executum esse mandatum (5). Papa adhuc semel ipsi respondet adhortando eum, ut non totam in alios referat culpam, sed et propriam agnoscat atque omnem inconcessi iuris abiiciat affectum (6).

Ulteriorem synodi huius in Oriente sortem prosequi, nimis longum esset. Observare adhuc sufficiat, non modo ab episcopis Graecis, sed etiam ab aliis, ut v. gr. Armenis synodum hanc, ac proinde Papae primatum, agnitum fuisse (7). Demum in Papae, necnon diversissimarum regionum episcoporum epistolis testimonia existunt non pauca, quae intuitu synodi huius in ecclesiam universam Pontificis Romani potestatem satis clare manifestant. Hinc testimonia haec, quamvis post concilium scripta, quum cum concilio intime iungantur, negligere nefas duco. Quum autem et prolixitatem cavere opus sit, epistolarum harum rationem hic describere haud possum, ideoque, quantum opus fuerit, loco suo hoc praestabitur.

(1) Ep. 111. Labbe, VI, 218; et Ep. 104. Labbe, VI, 226.
(2) Ep. 115. Labbe, VI, 230.
(3) Ep. 116, 117. Labbe, VI, 233, 234. (4) Ep. 127. Labbe, VI, 269.
(5) Ep. 132. Labbe, VI, 278. (6) Ep. 135. Labbe, VI, 290.
(7) « Ausserdem ist an die Teilnahme armenischer Bischöfe am Konzil von Chalcedon zu erinnern, wo der Primat des römischen Bischofes — Petrus hat durch Leo gesprochen — laute Anerkennung fand, denn das Konzil blieb ein halbes Iahrhundert bei den Armeniern in Geltung ». (S. Weber, o. c. p. 520). Tamen ex his verbis vix deduci potest, hos episcopos fuisse ex Armenia extra imperium Marciani sita.

PARS POSTERIOR: DEMONSTRATIVA.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS

O. F. M.

PROV. S. BARBARAE

EX CONCILIO CHALCEDONENSI DE PRIMATU PAPAE DOCUMENTA

Expositis igitur iis, quae ad concilii chalcedonensis historiam pertinent, iamiam ea, quae ex concilii huius eventibus pro Pontificis Romani primatu certant, penitius inspicienda occurunt. Enimvero, sicut prius concilii huius triplex distinximus stadium: causas videlicet concilium hoc provocantes; deinde concilii convocati actiones; denique autem ea, quae ex eo immediate promanabant et cum eo intime iungebantur — sic et documenta primatum testantia tripartiri possunt: in ea videlicet, quae concilii sessiones praecedunt; in ea, quae in ipsis concilii actis exprimuntur; et denique in ea, quae quidem post concilii sessiones exarata sunt, ad illud tamen proxime referuntur.

Ne autem obscuritati locum demus, testimonia primatui faventia, praeprimis simpliciter, prout in documentis iacent, enumerabimus; deinde quidnam de papae primatu ex testimoniis illis concludi possit, examinabimus; et denique ea, quae primatui adversari videntur, praecipue autem canonem 28 concilii huius inspiciemus. Unicuique testimonio nostrum praefigimus numerum, simul locum, unde depromptum sit, indicantes.

1. - TESTIMONIA PRO PRIMATU CONCILII SESSIONES PRAECEDENTIA.

Testimonia haec ex epistolis concilii sessiones praecedentibus depromuntur. Epistolas has claritatis causa in tri-

plex distinguere possumus genus et quidem: *a)* in epistolas a Papa Leone ad alios scriptas; *b)* in epistolas ab aliis personis huic Papae destinatas; et *c)* in epistolas ab aliis personis praeter Papam inter sese communicatas. Ubi rei natura id postulaverit, brevem singularum epistolarum causam adnotabimus atque, ut iam dictum, textus graeci quoque adiiciemus tenorem.

§ 1. — Testimonia ex epistolis papae ad alios missis.

In epistolis, quas Leo Papa ab initio perturbationum ab Eutyche et eius assentatoribus in ecclesia orientali excitatarum, usque ad mortem suam diversis destinabat personis, multa inveniuntur dicta, quae ad scopum nostrum obtinendum inservire possunt. Certe non omnia, sed praecipua tantum dictorum illorum hac serie exhibemus, quorum vim et significationem postea examinaturi sumus. Ordo epistolarum hic exhibitus ille est, qui in collectione conciliorum a Labbe procurata reperitur. Quum autem causas et occasiones, quibus Leo has conscribere epistolas inductus erat, in historia concilii huius iam praemisimus, sufficiat illas hic illic paucissimis indicare verbis. Testimonia ergo ex epistolis Leonis a nobis pro primatu selecta sunt sequentia:

1. **Ex ep. 20.** Eutychi, qui ipsi nuntiat Constantinopoli nestorianismum denuo crescere, Papa respondet inter alia et haec: « *Nos autem* cum plenius, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoscere, *necesse est, auxiliante Domino providere:* quatenus nefandum virus, dudumque damnatum radicitus possit extingui » (1).

2. **Ex ep. 23.** Flaviano post Eutychis epistolam: ..... α) « *miramur fraternitatem tuam* quidquid illud scandali fuit *nobis silere potuisse, et non potius procurasse ut primitus nos insinuatio tuae relationis instrueret: ne de rerum gestarum fide possemus ambigere* .... β) Sed respicientes ad causam, *facti tui nosse volumus rationem; et usque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam nos, qui*

(1) Labbe, V, 1323.

Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiuscumque partis iudicium definire .... γ) Et ideo quia dilectio tua de tanta causa *nos videt necessario sollicitos,* quam plenissime et lucide *universa nobis, quod antea facere debuit,* indicare festinet » (1).

3. Ex ep. 24. Theodosio imperatori scribens de Eutychis et Flaviani causa: α) « Quamvis enim praedictus Presbyter *ad Sedem apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit;* breviter tamen aliqua praelibavit, asserens se Nicaenae Synodi constituta servantem .... β) Ad praedictum autem Episcopum litteras dedi, *quibus mihi displicere cognosceret* quod ea quae in tanta causa gesta fuerant, etiam nunc silentio detineret, *cum studere debuerit primitus nobis cuncta reserare:* quem credimus vel post *admonitionem* omnia ad nostram notitiam relaturum, ut .... id quod evangelicae et apostolicae doctrinae convenit, *iudicetur* » (2).

4. Ex ep. 28. Respondens ad Flaviani epistolam atque quid de Christi naturis tenendum, dicit: α) « Lectis dilectionis tuae litteris, quas miramur fuisse tam seras,... tandem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus ». β) « Ad omnem vero causam pie ac fideliter exequendam, fratres nostros.... *vice nostra direximus* » (3).

5. Ex ep. 29. Theodosio de concilio constantinopolitano sub Flaviano habito et Eutyche loquens, ait:.... α) « cum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret *quidquid nostra sententia* de his quae male senserat, *improbasset.* β) Quid autem catholica Ecclesia universaliter de sacramento dominicae incarnationis credat et doceat, ad fratrem et coepiscopum meum Flavianum continent scripta, quae misi » (4).

6. Ex ep. 30. Pulcheriae de Eutychis causa scribens dicit: « Sedis enim apostolicae moderatio hanc temperan-

---

(1) Labbe, V, 1338. Litterularum graecarum a nobis luciditatis causa facta est intercalatio.

(2) Labbe, V, 1341. (3) Labbe, V, 1366, 1379. (4) Labbe, V, 1391.

tiam servat, *ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupiat praestare correctis*.... Quod etiam fratri et coepiscopo meo Flaviano me Clementia vestra scripsisse cognoscat: et his quos misimus, *delegasse ut venia concedatur*, si error aboletur » (1).

7. **Ex ep. 31.** Ad eandem ante latrocinium Ephesinum: « .... in his fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum ceteris qui adfuerint, aestimate: quibus secundum causam satis mihi ex gestorum serie, et ipsius de quo agitur professione, patefactam, *evidenter et plene quid servandum esset ostendi* » (2).

8. **Ex ep. 33.** Ad synodum ephesinam secundam ita scribit: « Religiosa clementissimi Principis fides... hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum *auctoritatem apostolicae Sedis adhiberet:* tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in eius confessione laudatum sit quando dicente Domino: Quem me esse dicunt homines filium hominis? varias quidem diversorum opiniones discipuli memorarunt » (3).

9. **Ex epistola 35.** Ad Iulianum Coensem:... « apud eruditionem tuam non est copiose laborandum: praesertim cum iam per nostros (4) ad fratrem Flavianum sufficientes litteras miserimus, *ad confirmandos animos non solum Sacerdotum, sed etiam laicorum* » (sub fine) (5).

10. **Ex epistola 37.** Theodosio declarat, cur personaliter ad concilium non accedat et praeterquam quod consuetudine prohibeatur, hanc addit rationem: « ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis *pro causae qualitate sufficiant*, quique praesentiae meae impleant vicem: *quia non talis quaestio orta est, de qua possit aut debeat dubitari* (6).

11. **Ex epistola 38.** Iterum ad Flavianum:... « datis iam ad tuam dilectionem litteris, quid in corde nostro esset, patefecimus: *ne de his quae secundum doctrinam catholi-*

(1) Labbe, V, 1399. (2) Labbe, V, 1405. (3) Labbe, V, 1410.
(4) « Nostros » vocat Leo legatos suos.
(5) Labbe, V, 1423. (6) Labbe, V, 1425.

cam didicimus et docemus, aliquid inter nos videri possit ambiguum » (1).

12. **Ex epistola 39.** Ad eundem: « Olim ad fraternitatem tuam *nostros* credimus pervenisse, *per quos plenius scriptis mandatisque nostris* instructum te esse *retines* » (2).

13. **Ex epistola 43.** Ad Theodosium post latrocinium ephesinum: « *Antea et ab initio in iis, quae factae sunt, Synodis tantam nos accepimus fiduciam a sanctissimo Petro et Principe Apostolorum, ut potestatem habeamus et veritatis vindicandae pro nostra pace, et nemini ipsam liceat, cum munita adeo sit, concutere,* dum sine mora laesio removetur » (3).

« Ἄνωθεν, καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐν ταῖς γενομέναις συνόδοις, τοσαύτην ἡμεῖς εἰλήφαμεν παῤῥησίαν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Πέτρου, καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων ὡς ἔχειν τὴν ἀυθεντίαν καὶ ἐκδικεῖν τὴν ἀλήθειαν ὑπὲρ τῆς ἡμῶν εἰρήνης, καὶ μηδενὶ δύνασθαι ὀχυρὰν οὕτως ὑπάρχουσαν παραβαλεύειν ».

14. **Ex epist. 44.** Ad eundem Theodosium in eadem causa:... α) « si scripta, quae vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimae fidei quam divinitus inspiratam et accepimus, et tenemus, *omnium concertationum strepitus quievisset,* ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi aemulatio reperiret. β) ... Quod nostri ab apostolica Sede directi adeo impium et catholicae fidei contrarium esse viderunt, ut in eadem Synodo, *ut decuit, fuerint protestati, nequaquam id, quod constituebatur, Sedem apostolicam recepturam*... γ) Date defendendae fidei libertatem, quam salva Clementiae vestrae reverentia, *nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre* » (c. 1. in principio, in fine et c. 3) (4).

15. **Ex ep. 45.** Ad Pulcheriam:... « quoniam Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc quod factum est sine consideratione iustitiae, et contra omnem canonum disciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit » (5).

---

(1) Labbe, V, 1426. (2) Labbe, V, 1427. (3) Labbe, VI, 7.
(4) Labbe, VI, 14. (5) Labbe, VI, 23.

16. **Ex ep. 47.** Ad Anastasium, episcopum Thessalonicensem post latrocinium: α) « Si quid igitur fraternitati tuae de impiis constitutionibus fuerit ingestum, *protestamur pariter ac monemus*, ne vel in damnationem fratris insontis, vel in receptionem nefarii dogmatis consensum tui cordis immisceas... β) *Nobis enim* ab Evangelio generationis, et mortis ac resurrectionis Domini Iesu Christi *nullatenus recedentibus definitissimum est*, in nostrae communionis numero *non futuros eos*, qui conantur antiqua catholicae fidei fundamenta convellere » (1).

17. **Ex epist. 50.** Ad Constantinopolitanos: α) « Nunc quia Ecclesiam vestram hac ratione cognovimus dissipatam, consolandos adhortandosque vos esse credidimus nostris epistolis, ut pro catholicae fidei defensione perfidorum nequitiae resistatis... β) *Quisquis enim incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro, Sacerdotium eius fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari* » (2).

18. **Ex epistola 59.** Ad eosdem: « Cui impietati ne in aliquo praeberetis assensum, iam... *cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem, quam expetistis*, ultro praebuimus: ut nos paternam vobis curam non dubitetis impendere » ... (c. 1) (3).

19. **Ex ep. 61.** Ad Martinum et Faustum, presbyteros: « Quia licet plene, quae semper fuisset atque esset Catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes, non parum exhortationis addidimus. *Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes quidem haereses destruit*, sed maxime impietatem praesentis erroris expugnat: *et intelligo mihi aliud non licere, quam ut omnes conatus meos ei causae, in qua universalis Ecclesiae salus infestatur, impendam* » (4).

20. **Ex ep. 69.** Ad Theodosium de Anatolii agnitione quam Theodosius a Papa pro eodem petebat, ita respondet:

---

(1) Labbe, VI, 27. (2) Labbe, VI, 30. (3) Labbe, VI, 59.
(4) Labbe, VI. 66.

α) « Sed ne aliquid in praeiudicium catholicae defensionis viderer egisse, de ordinatione ejus, qui Constantinopolitanae coepit Ecclesiae praesidere, nihil interim in alterutram partem temere subscribendum putavi ... ut cum talem se erga fidem catholicam, qualem cupimus, approbarit, de sinceritate ipsius et copiosius et securius gaudeamus... β) Non aspernetur etiam meam epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet... *Catholicorum sententiis toto corde consentiat: ita ut sinceram communis fidei professionem, absolutissima subscriptione, coram omni clero, et universa plebe declaret, apostolicae Sedi et universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam*... γ) agat clementiae vestrae devotissima fides, *ut quam primum ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debent, probati et catholici Sacerdotis scripta perveniant*, aperte scilicet atque dilucide protestantia, quod si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat aut asserat, *quam Catholicorum omnium et mea professio protestatur*, hunc a sua communione *secernat*, ut ei fraternam in Christo caritatem merito possimus impendere » (1).

21. **Ex ep. 70.** Ad Pulcheriam ita de causa Anatolii dicit: « Quod tamen *mearum partium est, praeterire non debeo, ut scilicet quid de Incarnatione Filii Dei a Constantinopolitano Episcopo teneatur, agnoscam*... Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus Antistes repudiandum sibi, quod ausa est contra puram et singularem fidem imperita insipientia definire, *incunctanter agnoscat:* quia *et mea*, et sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia et una confessio est. *Quam si quis existimaverit non esse sequendam, ipse se a compage catholicae unitatis abscidit* » (2).

22. **Ex ep. 78.** Ad Marcianum scribens de latrocinio: « Pleniora autem de omnibus, quae *ad curam meam pro statu Ecclesiarum, et concordia pertinent Domini Sacerdotum*, per Legatos nostros scripta direximus » (3).

23. **Ex ep. 79.** Ad Pulcheriam de episcopis, qui latrocinio prius adhaerebant: « Quosdam vero episcopos de his,

(1) Labbe, VI, 83. (2) Labbe, VI, 86, 87. (3) Labbe, VI, 104.

qui rebus impiis videntur praebuisse consensum, reconciliationem poscere... *quorum desideriis sic praebemus effectum, ut correctis, et quae male sunt facta, propria subscriptione damnantibus,* participata nostrorum, quos misimus, cura cum supra dicto Episcopo [Anatolio], pacis gratia tribuatur » (1).

24. Ex ep. 80. Ad Anatolium de eadem re: α) « De fratribus vero, quos et epistolis tuis et Legatorum nostrorum relatione communionis nostrae cupidos esse cognovimus, eo quod doleant... sceleri praebuisse consensum...: *illud quidem quod praesentibus et agentibus nostris constitutum est,* (legatis videlicet–adnotatio nostra!) *approbamus,* ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti: sed cum Legatis nostris quos misimus, [noviter] participata tecum sollicitudine volumus disponatur, quatenus hi, qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant... pacis et communionis nostrae unitate laetentur; ita ut digno prius anathemate, quae contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur... Nec aspere igitur communionis nostrae gratia deneganda est, nec temere largienda (cap. 2). β) *De nominibus autem Dioscori, Iuvenalis, et Eustachii ad sacrum altare recitandis* dilectionem tuam hoc decet custodire, quod *nostri ibidem constituti faciendum esse dixerunt* (c. 3. initio). γ) Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus, fratrem et Coepiscopum nostrum Eusebium... nobiscum interim demorari, et in nostra nunc communione persistere: cuius Ecclesiam *tua sollicitudine volumus esse defensam,* ut nihil eodem absente depereat, et nullus ei in aliquo praeiudicare praesumat, *donec cum litterarum nostrarum ad vos prosecutione perveniat* (c. 4). δ)... hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, *in omnium volumus notitiam pervenire:* ut qui Deo nostro deserviunt, *de confirmata apud te pace Sedis apostolicae* gratulentur » (ibid.) (2).

25. Ex ep. 85. Item ad Anatolium de eadem re: α)... « quibus tua dilectio societur, [legatis], ut nihil in his, quae ad universalis Ecclesiae statum pertinent, aut dubie

(1) Labbe, VI, 106, 107. (2) Labbe, VI, 109, 110.

agatur, aut segniter: cum, residentibus vobis, *quibus executionem nostrae dispositionis iniunximus*, ea possint agi cuncta moderatione, ut nec benevolentiae partes, nec iustitiae negligantur (c. 1). β) De his autem, *qui in hac causa gravius peccavere*... horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, *maturioribus apostolicae Sedis consiliis reservetur:* ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat, aestimetur (c. 2). γ) Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur: *ut pertractata qualitate causarum, nostra, quid observari debeat, sollicitudo constituat* » (1) (c. 3 in fine).

26. Ex epistola 93. Ad concilium Nicaeae congregatum et postea Chalcedonem translatum dicit: α) Imperatorem concilium convocasse: « beatissimi *Petri Apostoli iure atque honore servato*, adeo, ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili synodo nostram praesentiam praeberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla poterat consuetudo permittere. Tamen *in his* fratribus.... *qui ab apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas aestimet praesidere* »..... (... « φυλαττομένων τῷ θρόνῳ τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τῶν τε δικαίων, καὶ τῆς τιμῆς ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ ἡμᾶς ὑπ' αὐτοῦ πρὸς τοῦτο δι' οἰκείων προτραπῆναι γραμμάτων, ἐφ' ᾧ τε τὴν οἰκείαν παρουσίαν ἡμᾶς παρασχεῖν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ· ὅπερ μὲν οὖν οὐκ ἠδύνατο, οὐδὲ ἡ ἀνάγκη τοῦ καιροῦ οὐδὲ μήν τις ἐπιτρέψαι συνήθεια. πλὴν ἐν τούτοις τοῖς ἀδελφοῖς.... τοῖς ἀποσταλμένοις ὑπὸ τοῦ θρόνου τῶν ἀποστόλων ἐμὲ τῆς συνόδου προεδρεύειν ἡ ὑμῶν ἀδελφότης ἡγείσθω »....) β) Unde, fratres carissimi, *reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam*, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi, quod non licet credi: cum secundum propheticas voces, *apostolicam doctrinam* plenissime et lucidissime *per litteras, quas* ad beatae memoriae Flavianum Episcopum *misimus, fuerit declaratum, quae sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio* » (c. 2) (2). (« ὅθεν, ἀδελφοὶ προσφιλέστατοι, πασαπαντελῶς τολμηρὰ διάλεξις ὑπεναντίον τῆς θεόθεν

(1) Labbe, VI, 118, 119. (2) Labbe, VI, 134.

ἐμπνευσθείσης πίστεως καὶ ματαία τῶν πεπλανημένων ἀπιστία τὴν ἡσυχίαν ἀγέτω· ἐκδικείτω τε τοῦτο μηδείς, ὃ πιστεύειν οὐ θέμις· ὁπότε κατὰ τὴν τῶν εὐαγγελίων αὐθεντίαν, κατὰ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν, καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων διδασκαλίαν, πληρέστατα, καὶ σαφέστατα, δι' ὧν πρὸς τὸν τῆς ὁσίας μνήμης Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον ἐπεστείλαμεν, ἤδη δεδήλωται, ποία τίς ἐστιν ἡ περὶ τοῦ μυστερίου τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εὐσεβὴς ὁμολογία, καὶ καθαρά »).

27. **Ex ep. 95.** Ad Pulcheriam de novo concilio celebrando:... « adeo tamen non aspernanter accepi, ut binos de Coepiscopis meis et Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, *etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus scriptis*, quibus fraternitas advocata *cognosceret, quam formam servare in hac diiudicatione deberet:* ne ulla temeritas *aut fidei regulis, aut canonum statutis*, aut benignitatis remediis obviaret » (c. 1) [1].

§ 2. — Testimonia ex epistolis aliorum ad papam directis.

Non solum Papa Leo epistolas ad diversas mittebat personas, sed et alii ad litteras eius responsiones dabant, immo quidam fideles, sive episcopi, sive sacerdotes, etiam sponte ad eum scripto recurrebant. Quaedam epistolarum harum inter epistolas Leonis conservatae sunt, quaedam autem recentius, ut suo loco indicabimus, alibi repertae. In aliquibus enuntiationes de Primatu Pontificis Romani vere pretiosae inveniuntur, quae eo maiorem sortiuntur vim, quod non ab occidentalibus, sed ab orientalibus hominibus prolatae sunt. Testimonia, quae maioris mihi videntur esse ponderis, quaeque hic adducenda esse censeo, sunt sequentia:

28. **Ex epistola Eutychis ad Papam.** Ut in historia concilii chalcedonensis iam commemoravimus, ipse quoque Eutyches ad Papam Leonem a sententia Flaviani appellavit. Inter caetera verba et haec in illa appellatione reperiuntur:... α) « *rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestrae, et quod vobis videretur iudicaretis, profitens omnibus mo-*

[1] Labbe, VI, 138.

dis me secuturum quae probassetis. Sed nullo eorum quae a me dicebantur audito, abrupta synodo publicaverunt deiectionis sententiam, quam adversum me ante cognitionem parabant. β) *Ad vos igitur religionis defensores et huiusmodi factiones execrantes confugio....* Et obsecro, nullo mihi praeiudicio facto ex his quae per insidias contra me gesta sunt, *quae visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam* et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, *et non excuti et eximi de numero orthodoxorum* »....[1].

29. **Ex ep. 26. Flaviani:**... α) « redditae nobis sunt litterae Sanctitatis vestrae.... ex quibus edocti sumus, eumdem Eutychen libellos ad vos misisse plenos fallacia et astu, dicentem *se tempore Iudicii libellos Appellationis tradidisse* nobis et sanctae Episcoporum tunc praesentium Synodo atque *appellasse ad vestram Sanctitatem:* quod nequaquam ab eo factum est.... β) Commotus igitur, sanctissime Pater,... *solita fiducia utere, sicut Sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque Ecclesiarum compositionem, dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni canonicae* adversus eum factae; γ) *confirmare* vero et piissimi Christumque amantis nostri Imperatoris *fidem.* δ) *Res namque solo indigent ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est.* ε) *Sic enim et quae insurrexit haeresis, et ob eam excitatus tumultus facile cessabit, Deo cooperante, per vestras sacras litteras: prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse Synodus;* ut ne sanctissimae totius orbis Ecclesiae perturbentur » [2].

(... α) « γράμματα ἡμῖν ἀπεδόθη τῆς ὑμετέρας δσιότητος.... δι' ὧν ἐδιδάχθημεν, ὡς ὁ αὐτὸς Εὐτυχὴς λιβέλλους ἐξαπέστειλεν ὑμῖν πεπληρωμένους πάσης ἀπάτης, καὶ πανουργίας ἐν τῷ καιρῷ τῆς κρίσεως λιβέλλους ἐπιδεδωκέναι ἐκκλήτους ἡμῖν τε, καὶ τῇ ἐνδημούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ ἐπικαλέσασθαι τὴν ὑμετέραν δσιότητα· ὥπερ οὐδαμῶς παρ' αὐτοῦ γέγονεν.... β) συγκινηθείς οὖν, δσιώτατε πάτερ.... παῤῥησίασαι συνήθως κατὰ τὸ πρέπον τῇ ἱεροσύνῃ. καὶ οἰκειωσάμενος τὸ κοινὸν πρᾶγμα, καὶ τὴν τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν κατάστασιν,

(1) Migne, vol. 54, 716, 717.

(2) Labbe, V, 1354, 5.

συμψηφήσασθαι μὲν τῇ γενομένῃ κατ' αὐτοῦ κανονικῶς καθαιρέσει, δι' οἰκείων γραμμάτων καταξίωσον· γ) στηρίξαι δὲ καὶ τὴν τοῦ εὐσεβεστάτου, καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως πίστιν. δ) μόνης γὰρ τὸ πρᾶγμα δεῖται τῆς παρ' ὑμῶν ῥοπῆς καὶ ἀντιλήψεως, ὀφειλούσης διὰ τῆς οἰκείας συναινέσεως εἰς γαλήνην, καὶ εἰρήνην πάντα μετασκευάσαι. ε) οὕτω γὰρ καὶ ἡ ἐπαναστᾶσα αἵρεσις, καὶ ἡ δι' αὐτὴν ταραχὴ, εὐμαρῶς καταργηθήσεται, τοῦ Θεοῦ συνεργοῦντος, διὰ τῶν ὑμετέρων ἱερῶν γραμμάτων· κωλυθήσεται δὲ καὶ ἡ θρυλλομένη γίνεσθαι σύνοδος, ὥστε μὴ τὰς ἁπανταχόσε ἁγιωτάτας ἐκκλησίας διαταραχθῆναι »).

30. **Ex ep. 52.** Theodoreti episcopi cyrensis: α) « *Si Paulus praeco veritatis, tuba Spiritu sancti, ad magnum Petrum se contulit,* ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, *multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus.* β) *Vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Multis siquidem praerogativis ornatur Sedes vestra.... Habet praeterea communium patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulchra.... *Hi Sedem vestram nobilissimam reddiderunt: hic bonorum vestrorum est apex* » (c. 1)... γ) *At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam,* et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi *rectum ac iustum tribunal vestrum* invocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere.... δ) Ante omnia *ut a vobis docear oro,* an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non: *vestram enim sententiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo,* neque ulli hominum deinceps molestus ero » ... [1] (c. 5 initio et in medio). α) (« Εἰ Παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος σάλπιγξ, πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον, ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς, καὶ σμικροὶ, πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν. β) δία πάντα γὰρ ὑμῶν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει. πολλοῖς γαρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι.... ἔχει δέ καὶ τῶν κοινῶν πατέρων, καὶ διδασκάλων τῆς ἀληθείας Πέτρου καὶ Παύλου θήκας.... οὗτοι τὸν ὑμέτερον περιφανέστατον ἀπέφηναν θρόνον. οὗτος τῶν

[1] Labbe, VI, 35 sq.

ἀγαθῶν τῶν ὑμετέρων ὁ κολοφών.... γ) Ἐγὼ δὲ τοῦ Ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον. καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβαλῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναι μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην.... δ) Πρὸ δὲ πάντων, μαθεῖν ἀντιβολῶ παρ' ὑμῶν, εἴτε χρή με τέρψαι τὴν ἄδικον ταύτην καθαίρεσιν, εἴτε μή. τὴν γαρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον. κἂν κελεύσητε τοῖς καταψηφισαμένοις ἐμμεῖναι, ἐμμενῶ καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐνοχλήσω λοιπόν» ....).

31. **Ex ep. 73.** Marciani et Valentiniani: α) « Unde pro reverenda et catholica religione fidei Christianorum... *tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu, divinae fidei possidentem*, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam.... β) quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, *te auctore*, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicae fiat »... (1). α) « ὅθεν ὑπὲρ τῆς εὐλαβοῦς, καὶ καθολικῆς θρησκείας τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν.... τὴν τε σὴν ἁγιοσύνην ἐπισκοπεύουσαν, καὶ ἄρχουσαν, τῆς θείας πίστεως, ἱεροῖς γράμμασιν ἐν πρώτοις δίκαιον ἡγησάμεθα προσειπεῖν... β) ὥστε πάσης ἀσεβοῦς πλάνης ἀποκινηθείσης, διὰ τῆς συγκροτεθείσης ταύτης συνόδου; σοῦ αὐθεντοῦντος, μεγίστη εἰρήνη περὶ πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῆς καθολικῆς πίστεως ὑπαρχθείη ».

32. **Ex ep. 76.** Eiusdem Marciani:... « Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has partes advenias; hoc ipsum nobis propriis litteris tua Sanctitas manifestet, quatenus.... ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, et quae Christianorum religioni atque catholicae fidei prosint, *sicut Sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definivit, sua dispositione declarent* » (2). .... « καὶ ἅπερ τῇ τῆς, τῶν χριστιανῶν θρεσκείας εἰρήνῃ, καὶ τῇ καθολικῇ πίστει συμφέρουσι, καθὼς ἡ σὴ ἁγιωσύνη κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας διετύπωσε, κατατεθήσονται ».

33. **Ex ep. 77.** Pulcheriae: α) .... « Anatolius.... *tuarum litterarum apostolicam confessionem complectitur*.... sicut ex eius quoque litteris clarius tua Sanctitas agnoscere poterit: et epistolae namque similiter catholicae fidei, quam ad sanctae memoriae Flavianum Episcopum tua Beatitudo direxit, *sine aliqua dilatione subscripsit*. β) Et propterea

(1) Labbe, VI, 94. Erat mos in inscriptionibus litterarum amborum adducere nomina imperatorum! (2) Labbe, VI, 99.

tua Reverentia quocumque modo perspexerit, significare dignetur; ut omnes etiam totius Orientis Episcopi Thraciae atque Illyrici.... valeant convenire: et illic facto Concilio, et de catholica confessione, et de his Episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides et christiana pietas exigit, *te auctore* decernant » (σοῦ αὐθεντοῦντος ὁρίσωσιν) (1).

34. **Ex ep. 99.** Episcoporum Gallorum. Leo misit ad eos exemplar epistolae ad Flavianum, ipsi autem in responso praeter alia, sequentia profitentur: α) « Quae Apostolatus vestri scripta *ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit*, et tenaci quo ad confundendos haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit.... β) Nonnulli sollicitiores facti, Beatitudinis vestrae admonitione percepta modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, *qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicae Sedis auctoritate, eloquantur*, et asserit unusquisque quod credit.... γ) *Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis, ut constanter teneat, quod credebat;* debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et apostolicae institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur et credat, *quod per os vestrum Dominus noster Iesu Christus de sacramento Incarnationis suae docet* » ... (2).

35. **Ex appellatione Flaviani** (3), ubi contra latrocinii ephesini facta ad Papam provocat: α) « Oportune quidem ad

(1) Labbe, VI, 102. (2) Labbe, VI, 162 sq.

(3) Huius appellationis saepius in dubium vocabatur existentia, nam eiusdem textus nullibi amplius prostabat nec in conciliorum collectionibus notis reperiebatur. Anno tandem 1882. Guerinus Amelli eam in codice bibliothecae capitularis Novariensis, n. 30, detexit atque in Spicilegio Cassinensi t. I, (1888-1894, p. 132 sq.) edidit. Alteram editionem Grisar sub titulo: « Die neu aufgefundene Appellation Flavians an Papst Leo I. » in « Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde », t. II, iam an. 1886, publicavit. Praefatus codex mendis non caret, atque appellationis huius textum, e graeco sermone probabiliter immediate translatum, sat mutilum exhibet. Nos textum hunc, sicut et sequentem Eusebii Dorylaeensis, cum interpretatione a Mommsen facta, prout a Grisar in « Analectis Romanis » cum observationibus exhibetur, adducimus.

praesens tempus mediocriter referre [1] et *uti apostolica appellatione ad vestram sanctitatem, ut progrediens ad orientem auxilium ferret* [2] *periclitanti piae sanctorum patrum fidei,* quam sudore ultionis tradiderunt [3].... β) *Me appellante thronum apostolicae sedis principis apostolorum Petri* [4] et universam beatam, quae sub vestra sanctitate est synodum, statim me circumvallat multitudo militaris... γ) Oro itaque vestram sanctitatem, ne obdormire patiamini super his quae insipienti et furioso consilio circa me gesta sunt.... δ) deinde propter eversionem ecclesiasticarum constitutionum curam facere et simpliciter per omnia narrare tam plebi, quae numero praecellit, quam amatorem Christi imperatorem nostrum litteris quae competunt edocere.... ε) dare etiam formam quam Deus vestrae menti inspirabit, ut tam occidentali quam etiam orientali in unum facta patrum synodo, similis ubique praedicetur fides »....

36. Ex appellatione Eusebii Dorylaeensis: α) « *Ab exordio* [5] *consuevit thronus apostolicus iniqua perferentes defensare* et eos qui in inevitabiles factiones inciderunt, adiuvare et humi iacentes erigere.... β) *causa autem rei, quod sensum rectum tenetis et inconcussam servatis* [6] *erga dominum nostrum Iesum Christum fidem, nec non etiam indissimulatam universis fratribus et omnibus in nomine*

---

(1) Mommsen ita interpretatur: « Oportuit quidem ad praesens tempus me dignanter referre »,

(2) Codex dicit: ferre.

(3) Grisar: « Ma forse si dovrà correggere: sudore vultus sui ». (o. c. p. 323, nota 1, 2, 3).

(4) Grisar: « Da queste parole si vede, che è infondata l' opinione di Quesnel, che cercava di mostrare in apposita dissertazione, avere Flaviano appellato ad un nuovo sinodo ecumenico, e non al papa stesso ». (Ibid. nota 9).

(5) Cod.: « Qui fui desuper et ab exordio », che non ha senso. Amelli emenda: « Quia fuit desuper et ab exordio », Mommsen: « Curavit desuper et ab exordio ». È possibile che le parole del codice « qui fuit desuper et ab exordio » appartengano all' indirizzo della lettera, il quale adesso suona così: Sancto et beatissimo patri et archiepiscopo Leoni Eusebius exiguus. (Grisar, o. c. p. 324, nota 10).

(6) Cod.: scrutatis (p. 325, nota 2).

Christi vocatis tribuitis caritatem (1). Quam ob rem ego inevitabilibus inretitus *ad solum post domini relictum auxilium afflictus et in extremis laborans confugio,* solutionem malorum meorum, in quibus incidi, repperire desiderans... γ) Quoniam igitur dura et iniqua propter divinos canones pertuli a Dioscoro et ab aliis religiosis episcopis, qui timore et necessitate compulsi voluntati eius obtemperaverunt...: deprecor vestram beatitudinem et genua vestra tangens, si non manu, et tamen linguae perfungor (2) officio: pronuntiate evacuari et inanem fieri meam iniquam (3) condemnationem a religiosissimo episcopo Dioscoro, et eorum decretum, qui inviti consenserunt eius voluntati, reddentes mihi dignitatem episcopalem et vestram communionem litteris vestris ad meam exiguitatem datis,.... religiosissimi patres » (4).

§ 3. — Testimonia ex epistolis aliorum ad alios praeter papam datis.

Praeter epistolas hucusque adductas, datur et tertium genus epistolarum, i. e. talium, quae non a Papa aut ad Papam diriguntur, sed aliorum fidelium ad alios fideles de rebus ecclesiae et fidei sensa cordium patefaciunt. In his quoque epistolis, quae cum eventibus historicis, quos prius exposuimus intime cohaerent, multa reperiuntur dicta, quae

(1) Harnack de hac appellatione ita scribit: « Keine blosse Schmeichelei und nicht erst für das 5. Jahrhundert giltig sind die denkwürdigen Worte in der jüngst entdeckten Appellationsschrift des Eusebius von Doryläum an Leo I. (Neues Archiv Bd. XI. H. 2. S. 364): « Curavit desuper et ab exordio consuevit thronus apostolicus.... [adducit textum usque ad vocabulum: caritatem]. In eadem tamen pagina observat, quod hae praerogativae Sedis Romanae » losgelöst von der profan-geschichtlichen Bedeutung der ewigen Stadt, sind grobe Fictionen ». (Lehrb. d. Dogmeng. I, p. 454, respective 412, et nota ibidem). Cfr. cum hac affirmatione verba Theodoreti Cyrensis, quae superius (n. 30.) adduximus: « Hi [Petrus et Paulus!] sedem vestram nobilissimam reddiderunt: hic bonorum vestrorum est apex ».

(2) « Cosi Zeitschrift e Mommsen. Cod. profungor ».

(3) « Zeitschrift et Mommsen. Cod. inquam ». Grisar, p. 325, nota 4, 5).

(4) Haec ultima verba Papam et eius synodum indicare videntur.

conceptum de primatu Pontificis Romani in fidelibus illius temporis satis manifestant. Quapropter ex his quoque epistolis testimonia praecipua collegimus et ea modo consueto exhibemus. Sunt autem sequentia:

37. **Ex ep. 25.** Petrus Chrysologus ad Eutychem, qui ipsi in causa sua scripsit, respondet inter caetera et haec: α) «Haec breviter respondi, frater, litteris tuis; plura rescripturus, si ad me frater et Coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset.... β) In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, *ut his quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus*» (1). (.... β) Ἐπὶ πᾶσι δὲ προτρεπόμεθά σε, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ὥστε τοῖς παρὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα τῆς πόλεως Ῥώμης γραφομένοις πειθαρχοῦντως προσέχειν· ἐπειδὴ ὁ μακάριος Πέτρος, ὃς ἐν τῇ ἰδίᾳ καθέδρᾳ καὶ ζῇ, καὶ προκάθηται, δίδωσι τοῖς ζητοῦσι τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν. ἡμεῖς γὰρ σπουδῇ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς πίστεως ἐκτὸς συναινέσεως τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου, πίστεως αἰτίας διαγνῶναι οὐ δυνάμεθα»).

38. **Ex ep. 55.** Valentinianus imperator ad Theodosium Augustum de latrocinio scribens ait: α) «de fide.... quam nos a nostris maioribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere et dignitatem propriae venerationis beato Apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare: *quatenus beatissimus Romanae civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et Sacerdotibus iudicare*, Domine sacratissime Pater, et venerabilis Imperator. β) Hac enim gratia secundum solemnitatem Conciliorum et Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quae orta est de fide.... γ) annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, *ut praedictus Sacerdos* congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus

(1) Labbe, V, 1350.

intra Italiam, omni praeiudicio submoto, a principio omnem causam quae vertitur, sollicita probatione cognoscens, *sententiam ferat, quam fides et ratio verae Divinitatis expostulat* » (1). (.... α) « ἵνα ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως ᾧ τὴν ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέσχε, χώραν, καὶ εὐπορίαν ἔχειν περὶ τε πίστεως, καὶ ἱερέων κρίνειν.... β) τούτου γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων καὶ ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπεκαλέσατο διὰ λιβέλλου ἕνεκα τῆς ἀνακυψάσης φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως.... γ) ἵνα ὁ προλεχθεὶς ἱερεύς,.... ἐξ ὑπαρχῆς τὴν στρεφομένην αἰτίαν πεφροντισμένῃ δοκιμασίᾳ διαγνοὺς, ἐξοίσῃ τὴν ἀπόφασιν, ἣν ἡ πίστις, καὶ ὁ τῆς ἀληθοῦς θειότητος λόγος ἀπαιτεῖ »).

39. Ex ep. 56. Galla Placidia ad Theodosium de eadem re:... « tua mansuetudo.... praecipiat: *ut secundum formam et definitionem apostolicae Sedis*, quam etiam nos *tamquam praecellentem* similiter veneramur, in statu Sacerdotii illaeso manente per omnia Flaviano, *ad Concilii et apostolicae Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui caelestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit* » (2). («... ἵνα... ἐν τῇ συνόδῳ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἡ δίκη παραπεμφθήιη ἐν ᾧ πρῶτος ἐκεῖνος, ὁ τὰς οὐρανοῦ κλεῖς ἀξιωθεὶς ὑποδέξασθαι, τὴν ἐπισκοπὴν τῆς ἀρχιερωσύνης ἐκόσμησε δηλαδή:...).

40. Ex ep. 58. Galla Placidia ad Pulcheriam scribens dicit: « ut quidquid illo tumultuoso, miserrimoque Concilio constitutum est, omni virtute submoveatur; et omnibus integris permanentibus, *ad apostolicae Sedis, in qua primus Apostolorum beatus Petrus, qui etiam claves regnorum caelestium suscipiens, Sacerdotii principatum tenuit, episcopatus causa mittatur* » (3).... (.... « καὶ πάντων ἀκεραίων μενόντων, εἰς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, ἐν ᾧ πρῶτος ὁ μακαριώτατος τῶν ἀποστόλων Πέτρος, τὰ κλεῖθρα τῶν οὐρανῶν ὑποδεξάμενος, τὴν ἀρχιερωσύνην ἐκόσμησε, τοῦ ἐπὶ (4) ὑπόθεσις παραπεμφθείη »....).

41. Ex epistola Theodoreti Cyrensis ad Renatum:... « Hac igitur de causa tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo, *ut Apostolica utatur auctoritate, et praecipiat ad vestrum convolare Con-*

(1) Labbe, VI, 50. (2) Labbe, VI, 51 sq. (3) Labbe, VI, 58.
(4) Lacuna in graeco. Labbe habet in margine: κληρωσαμένη (VI, 57).

cilium. Habet enim sanctissima illa sedes omnium per Orbem Ecclesiarum ducatum et principatum multis quidem de causis, praecipue vero, quod haeretica labe immunis permansit; et nullus qui contraria sentit veritati, in illa numquam [potius: unquam!] sedit, sed apostolicam gratiam integram et immaculatam servavit » (1).

2. - TESTIMONIA EX CONCILII ACTIS.

Iis, quae ex supra memoratis epistolis maioris momenti nobis apparebant in ordinem digestis, iam ad ipsas concilii chalcedonensis sessiones accedendum est. In actis concilii huius et dicta et facta reperiuntur, quae indubie pro primatu Pontificis Romani certant. Hinc et testimonia in actis dispersa in ordinem redigimus ac illis, quae iam a nobis ex epistolis adducta sunt, adiungimus sicut sequitur:

42. Delegati Papae Dioscorum e concilii patribus segregandum esse ita enuntiant: « Beatissimi atque apostolici viri papae urbis Romae, *quae est caput omnium ecclesiarum,* praecepta habemus prae manibus, *quibus praecipere dignatus est eius apostolatus, ut Dioscorus* (Alexandrinornm archiepiscopus) *non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur* » (2). (« Τοῦ μακαριωτάτου, καὶ ἀποστολικοῦ ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων πόλεως, κεφαλῆς ὑπάρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλεσιῶν, προστάξεις ἐχομεν, ἐν αἷς κατηξίωσε διαλαλῆσαι, ὅπως Διόσκορος μὴ συγκαθεσθῆ τῷ συνεδρίῳ· εἰ δὲ ἐπιχειρήσει τοῦτο ποιῆσαι, ἐκβληθείη »).

43. Quum iudices causam huiusce mandati exquisivissent, respondit legatus Lucentius: « *Iudicii sui necesse est eum dare rationem,* quia *cum personam iudicandi non haberet,* praesumpsit, *et synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicae, quod numquam licuit, numquam factum est* » (3). (...' « τῆς ἰδίας κρίσεως λόγον ἀποδότω:... καὶ σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι »).

(1) Apud Baronium, o. c. p. 36.

(2) *Actio prima.* Labbe, VI, 579 sq. In quibusdam manuscriptis loco: *quae* est caput omnium ecclesiarum, legitur: *qui.* (Ibid. nota in margine).

(3) Labbe, VI, 582.

44. Theodoretus admittitur in concilium hac ratione a iudicis adducta: « Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, *quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo,* (ἐπειδὴ καὶ ἀποκατέστησεν αὐτῷ τὴν ἐπισκοπὴν ὁ ἁγιώτατος Λέων), et sacratissimus imperator sancit eum adesse sanctae synodo » (1).

45. Flaviani orthodoxia his verbis a Paschasino agnoscitur: « Sancte et integre et catholice exposuit beatae recordationis Flavianus: *siquidem eius fidei expositio cum beatissimi atque apostolici viri papae Romani epistola concordat* », ad quae Maximus Antiochenus adiunxit: « Sanctae memoriae archipiscopus Flavianus orthodoxe et *consonanter beatissimo archiepiscopo Leoni fidem exposuit,* et omnes eam prompte suscipimus » (2).

46. Dioscoro et consortibus a concilio permagno inscribitur crimini, quod Papae epistolam legi cohibuerit: « Non est lecta, sed retenta ab eo epistola synodica... Neque suscepta est epistola, neque lecta est. *Et septies iuravit coram omnibus facere eam recitari,* et non est lecta. Et peieravit, quia iuravit » (3).

47. Quum commissarii imperatoris expositionem fidei ab episcopis peterent, respondit Cecropius Sebastopolitanus: « Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant, *et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanae urbis, et sequimur eum,* et epistolae omnes subscripsimus. (επὶ τουτοις τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου, καὶ στοιχοῦμεν αὐτῷ, καὶ ὑπογραψαμεν πάντες τῇ ἐπιστολῇ). Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus: sufficiunt quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri ». Florentius autem Sardicensis ad expositionem tempus longius exquiri affirmans, addidit:... « *quamvis in nostra persona qui epistolae sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus correctione* » (4).

48. Lecto symbolo Nicaeno, episcopi clamabant: « Papa Leo sic credit: Cyrillus ita credidit: Papa Leo sic interpretatus est » (5).

(1) *Actio prima.* Labbe, VI, 590.
(2) Labbe, VI, 679. (3) Labbe, VI, 615.
(4) *Actio secunda.* Labbe, VI, 954. (5) Labbe, VI, 955.

49. Quum Leonis expositio fidei perlegeretur, episcopi eam sequentibus prosecuti sunt encomiis: « Haec patrum fides, haec apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. *Petrus per Leonem ita locutus est.* (Πέτρος διὰ Λέωντος ταῦτα ἐξεφώνησεν.) Apostoli ita docuerunt. Pie et vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit.... Haec vera fides. Catholici ita sapimus.... *Haec in Epheso cur lecta non sunt?* (ταῦτα ἐν Ἐφέσῳ διὰ τί οὐκ ἀνεγνώσθη;) Haec Dioscorus occultavit » (1).

50. Paschasinus auctoritatem suam praesidendi in concilio ita fundabat: « Notum est nempe huic Deo amabili concilio, et ad beatum apostolicum et catholicum papam Leonem sacras esse litteras destinatas, quatenus huic sancto concilio se praesentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit consuetudo.... *nostram parvitatem huic sancto concilio pro se praesidere praecepit. Ideoque necessarium est haec quae in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.* Propter hoc igitur porrectus libellus.... recitetur » (2). (.... « τὴν ἡμετέραν βραχύτητα ἀνθ' ἑαυτοῦ τὰ τῆς ἁγίας συνόδου [in margine: ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ συνοδῳ] ἐπέτρεψε. καὶ διὰ τοῦτο ἀναγκαῖόν ἐστι ταῦτα, ἅπερ ἂν εἰς μέσον ἀχθῇ, δι' ἡμετέρας διαλαλιᾶς σκοπηθῆναι. διατοι τοῦτο ὁ λίβελλος.... ἀναγινωσκέσθω »).

51. Libelli contra Dioscorum praeprimis ad Papam cum attributo universalis archiepiscopi diriguntur:

α) « Sanctissimo ac Dei amantissimo et *universali archiepiscopo et patriarchae magnae Romae Leoni* et sanctae et universali Calchedonensi synodo.... a Theodoro ecclesiae Alexandrinae diacono » (3). (Τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι, καὶ τῃ...).

β) « Sanctissimo et beatissimo universali archiepiscopo et patriarchae magnae Romae Leoni et sanctae universali Calchedonensi synodo.... libellus ab Ischyrione magnae Alexandrinae civitatis diacono » (4).

γ) « Sanctissimo et beatissimo universali patriarchae magnae Romae Leoni et sancto universali concilio.... in

(1) *Actio secunda.* Labbe, VI, 971. (2) *Actio tertia.* Labbe, VI, 983-986. (3) Labbe, VI, 1006. (4) Labbe, VI, 1011.

Calchedonensi civitate a miserabili Athanasio quondam presbytero magnae Alexandrinae civitatis et filio sororis sanctae et beatae memoriae episcopi Cyrilli » (1).

δ) « Sanctissimo et beatissimo universali archiepiscopo et patriarchae magnae Romae Leoni, et sanctissimo concilio.... in Calchedonensi civitate, congregato, a Sophronio Christiano » (2).

52. Ex iudicio in Dioscorum instituto, sequentia adducimus: « Iulianus episcopus Hypaepensis dixit:.... « Petimus igitur vestram sanctitatem, *qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi papae Leonis promulgare in eum,* et regulis insitam *contra eum proferre sententiam. Omnes enim, et tota universalis synodus concors efficitur vestrae sanctitatis sententiae.* Paschasinus episcopus dixit: Iterum dico: Quid placet beatitudini vestrae? Maximus episcopus magnae Antiochenae civitatis dixit: *Quod videtur sanctitati vestrae, et nos concordes efficimur.*

Paschasinus episcopus Lilybaetanus, provinciae Siciliae, et cum ipso Lucentius episcopus Esculanensis, et Bonifacius presbyter magnae Romanae ecclesiae, *tenentes locum sanctissimi et beatissimi archiepiscopi apostolicae sedis magnae et senioris Romae Leonis,* pronunciaverunt: Manifesta facta sunt, quae a Dioscoro quondam Alexandriae magnae ecclesiae episcopo commissa sunt.... Hic enim (ut plurima intermittamus) Eutychem.... *praesumens sibi primatum, irregulariter in communionem suscepit,* priusquam consideret in Epheso cum Dei amantissimis episcopis. *Sed illis quidem apostolica sedes veniam praestitit* de iis quae ibi non voluntarie ab eis gesta sunt, *qui et hactenus permanserunt obedientes sanctissimo archiepiscopo Leoni....* (οἳ καὶ διετέλεσαν μέχρι τοῦ παρόντος ἑπόμενοι τῷ τε ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι) et omni sancto et universali concilio: huius gratia et in sua communione eos sicut confideles suscepit.... Super haec vero neque epistolam legi permisit beatissimi Leonis... *qua non lecta, scandalum et laesionem sanctae Dei ecclesiae per totum orbem terrae pertulerunt.... Unde sanctissimus*

(1) Labbe, VI, 1022. (2) Labbe, VI, 1030.

et beatissimus archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro apostolo, qui est petra et crepido catholicae ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio » (1).

(« ὅθεν ὁ ἁγιώτατος, καὶ μακαριώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης, καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέων, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου, καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ὃς ἐστι, πέτρα, καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου, καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας »).

53. Epistola concilii de Dioscori damnatione ad imperatorem: « Nos igitur considerantes, et universo orbi factae tempestatis causam inquirentes, huius rei auctorem comperimus Dioscorum.... Primum quidem, *quia epistolam a sanctissimo archiepiscopo senioris Romae Leone* directam ad sanctae memoriae Flavianum.... *recitari prohibuit* reverendissimis episcopis Ephesi congregatis.... Secundo vero, quia Eutychi.... tam sacerdotium quam monachorum principatum.... irregulariter reddidit; *et haec, cum sanctissimus et beatissimus magnae Romae archiepiscopus Leo per easdem litteras convenientia decrevisset, et scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam*.... Sed quoniam super alias suas nequitias *et adversus apostolicam sedem latravit, et excommunicationis litteras adversus sanctissimum et beatissimum papam Leonem facere conatus est*... et adversus praesentem sanctam.... synodum procax existens.... episcopali dignitate pronuntiatus est alienus » (2).

54. Ex relatione concilii ad Pulcheriam: « Qui dispergebat, extinctus est, sopitus est persecutor, princeps tempestatis explosus est: *ipsique naves suas in cursu repetiere rectores, Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia, sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore* » (3).

(1) Labbe, VI, 1043-1047.
(2) Labbe, VI, 1098 sq.
(3) Labbe, VI, 1101.

55. Quum iudices ab episcopis exquisierunt, ut iuramento super evangelia assererent, epistolam Papae cum nicaeno et constantinopolitano symbolo concordare, omnes episcopi hoc libenter praestitere. Qua occasione α) Paschasinus et Lucentius dixerunt: « *Manifestum est, nec poterit dubitari,* unam fidem beatissimi papae sedis apostolicae rectoris Leonis cum trecentorum decem et octo apud Nicaeam patrum concordare » (1).... (« σαφές ἐστι, καὶ οὐ δύναται ἀμφισβητηθῆναι, μίαν εἶναι πίστιν τοῦ μακαριωτάτου πάπα τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας ἀρχιεπισκόπου Λέοντος συνάδουσαν τῇ τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ ἁγίων πατέρων πίστει τῶν συνελθόντων κατὰ Νικαίαν. »). β) Theodorus Damasci ita suum de epistola Leonis aperuit sensum: « *Non est ambigendum,* quin epistola beatissimi et sanctissimi patris nostri archiepiscopi Leonis consonet expositioni sanctorum patrum qui in Nicaea convenerunt » (2). γ) Sabbas Palti Syriae dixit: « Trecenti decem et octo sancti patres voluntate Dei in Nicaea congregati, et edocti a Spiritu sancto, rectam fidem nostram exposuerunt.... consona quoque.... Leo per suam epistolam docuit, et universus orbis terrarum sic *institutus est et edoctus; et nos eamdem retinemus et docemus* » (3). (« καὶ πᾶσα ἡ οἰκουμένη οὕτω κατηχήθη καὶ ἀδιδάχθη ».

Saepius hic episcopi orientales Papam « *pater noster* » appellant.

56. Quum episcopi aegyptiaci omnibus modis subscriptionem epistolae Leonis evitare voluissent, synodus saepius clamabat: « Subscribant epistolae Leonis. *Qui non ei subscribit, haereticus est* » (4).

57. Quum ab Anatolio nova formula fidei, in qua doctrina Leonis non erat expressa, synodo approbanda porrecta fuisset, legati dixerunt: « Si non consentiunt epistolae apostolici et beatissimi viri papae Leonis, iubete nobis rescripta dari, ut revertamur et ibi synodus celebretur » (5).

58. Latrocinii ephesini nullitas in concilio his verbis cognoscitur: α) « Si ergo et *a beatissimo et apostolico Romanae urbis episcopo* omnia quae ibi gesta sunt, *rana sunt*

(1) Labbe, VII, 10sq. (2) Labbe, VII, 14. (3) Labbe, VII, 18.
(4) Labbe, VII, 54, 55. (5) Labbe, VII, 102.

habita, claret, quia et sanctissimus episcopus Antiochenae civitatis extra haec est.... β) Igitur definimus, nihil horum valere, quae in illa (quae synodus dicitur) sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnae Antiochenae civitatis episcopum: *quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens, praeesse eum Antiochensium iudicavit ecclesiae* » (1)....

59. Quum Maximus sustentationem Domno obtulisset, Paschasinus hoc approbavit dicendo: « Sanctus et beatissimus *papa, qui episcopatum sancti ac venerabilis Maximi episcopi Antiochenae ecclesiae confirmavit,* iusto satis iudicio eius meritum approbasse videtur » (2)....

60. De causa inter Bassianum et Stephanum solvenda legati dixerunt: « Clarent quae ab universo concilio dicta sunt. Quid de hac causa sive de personis videatur *et nostrum et horum est confirmare sententiam* » (3). (δῆλα τὰ παρὰ πάσης τῆς συνόδου λεχθέντα. τί περὶ τούτου τοῦ πράγματος, ἢ τῶν προσώπων δοκεῖ, καὶ ἡμῶν, καὶ τούτων ἐστὶ τὴν ἀπόφασιν βεβαιῶσαι).

61. Occasione can. 28 conditi, legati sibi a Papa sequens mandatum iniunctum protulerunt: « Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatam *nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personae nostrae in vobis* (quos vice nostra transmisimus) *dignitatem* (φυλαττέσθω τοιγαροῦν τοῦ ἡμετέρου προσώπου ἡ ἀξία πᾶσι τρόποις ἐν ὑμῖν) ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis » (4).

62. Quum autem episcopi canonis 28 permansionem adhuc exegissent, respondit Lucentius: « *Sedes apostolica nobis praesentibus humiliari non debet:* et ideo quaecumque in praeiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci iubeatis: *sin alias, contradictio nostra his gestis inhaereat,* ut noverimus, quid apostolico viro universalis ecclesiae Papae referre debeamus: *ut ipse aut de suae se-*

(1) Labbe, VII, 258. (2) Labbe, VII, 270.
(3) Labbe, VII, 290. (4) Labbe, VII, 443.

dis iniuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam » (1).

63. Documentis pro et contra can. 28 lectis, iudices dixerunt: « Ex his quae gesta sunt, et ab unoquoque deposita, perpendimus, *omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum canones antiquae Romae Dei amantissimo archiepiscopo conservari* » (2). (... « ἐκ τῶν πεπραγμένων, καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως, συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν, κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβύτιδος Ρώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι »).

3. - TESTIMONIA EX DOCUMENTIS POST CONCILIUM.

Ut iam prius diximus, testimonia pro primatu Pontificis Romani a nobis selecta, partim ex epistolis antesynodicis, quas trifariam in nostra enumeratione documentorum dispescuimus; partim ex ipsis actis concilii; partim autem ex documentis postsynodicis deprompta sunt. Documenta haec postsynodica et satis numerosa, et quod maximi est valoris pro nobis, etiam maxime ponderosa sunt. Sunto ergo more hucusque a nobis usitato exhibita et ad priora adnumerata.

64. Ex allocutione synodi ad imperatorem:... « Unde nobis *impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit et Romanae ecclesiae papam* ad victoriam praeparavit, *doctrinis eum per omnia veritatis accingens*, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat » (3)... (« ὅθεν ἄτρωπον ὑμῖν (4) ἐκ πλάνης ὁ Θεὸς ἐπενόησε πρόμαχον, καὶ τὸν τῆς Ῥωμαίων πρὸς νίκην εὐτρέπισε πρόεδρον, τοῖς τῆς ἀληθείας αὐτὸν πανταχόθεν περισφίγξας διδάγμασιν· ἵνα, ὡς ὁ θερμὸς τῷ πόθῳ Πέτρος μαχόμενος, ἅπαν πρὸς Θεὸν ἐφελκύσεται νόημα »).

65. Ex epistola synodica Eusebii Mediolanensis, qui post damnationem Dioscori ita Papam alloquitur: « Nec mirum, quod Dominus noster Iesus Christus catholicae fidei quam tenemus, maiestatis suae gratiam custodiamque praestiterit: *quando vos idoneos cultus sui assertores in Apostoli sui*

(1) Labbe, VII, 454. (2) Labbe, VII, 451. (3) Labbe, VII, 455.
(4) In margine: ἡμῖν.

Sede Praesulem collocavit, qui et recta sentire de Incarnationis dominicae sacramento, *et eadem potestis rectius custodire* » (1).

66. Ex epistola synodi calchedonensis (2) ad Leonem, quae ante patrum a synodo discessum composita erat: α) « Quid enim fide sublimius ad laetandum?... Quam veluti auro textam seriem *ex praecepto legislatoris* venientem usque ad nos, *ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres* et eius fidei beatificationem super omnes adducens. β) Unde et nos, quippe *ut inchoatore bonorum te ad utilitatem utentes, Ecclesiae filiis haereditatem sortemque veritatis ostendimus*.... γ) et eramus in communi corona gaudii, quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, *quas per tuas litteras Christus praeparaverat* invitatis et supercaelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus... δ) *Quibus tu quidem, sicut membris caput praeeras in his qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens.* Imperatores vero fideles ad ornandum decentissime praesidebant.... ε) Et post haec omnia, [Dioscorus] insuper et contra ipsum, *cui vineae custodia a Salvatore commissa est,* extendit insaniam, id est contra tuam quoque dicimus Sanctitatem; et excommunicationem *meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas*.... ζ) Indicamus vero, quia et altera quaedam pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, *scientes quia et vestra sanctitas addiscens et probatura, et confirmatura est eadem*.... η) Confirmavimus autem et centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam sub piae memoriae maiore Theodosio, quae praecepit, *post* vestram sanctissimam et apostolicam Sedem, honorem habere Constantinopolitanam, (quae secunda est ordinata); *confidentes, quia lucente apud vos apostotico radio, et usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam,* consuete gubernando *parentes,* hunc saepius expandetis eo, quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum par-

(1) Labbe, VI, 141. Ep. 97. (2) Ita scriptum in Labbe.

ticipatione ditare domesticos... haec sicut propria et amica, et ad decorem convenientissima, *dignare complecti*, sanctissime et beatissime Pater. θ) Qui locum vestrae Sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi.... his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum volentes: *ut sicut fidei, sic bonae ordinationis vobis deputetur effectus.* ι) Nos enim.... opportunum credidimus esse honoris eius confirmationem ab universali Concilio celebrari, *et velut haec a tua Sanctitate fuerint inchoata*, eo quod fovere semper studeas, roboravimus.... *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium*, et sicut nos *capiti* in bonis adiecimus consonantiam, sic et *summitas tua filiis* quod decet adimpleat.... λ) Ut autem cognoscatis, quia nihil cuilibet donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, sed ut nutu gubernati divino; *omnem vobis gestorum vim insinuavimus*, ad comprobationem nostrae sinceritatis, *et ad eorum quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam* » (1).

Textus graeci verba praecipua: *Ad* α): « τί γὰρ πίστεως πρὸς εὐφροσύνην ἀνώτερον;.... ἦν αὐτὸς.... εἰς ἡμᾶς διεφύλαξας, πᾶσι τοῦ μακαρίου Πέτρου φωνῆς ἑρμενεὺς καθιστάμενος, καὶ τῆς ἐκείνου πίστεως τοῖς πᾶσι μακαρισμὸν ἐφελκόμενος ». — *Ad* β): « ὅθεν καὶ ἡμεῖς ὡς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι, τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν ». — *Ad* δ): « ὧν σὺ μὲν, ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τῆν σὴν τάξιν ἐπέχουσι ». — *Ad* ε): « καὶ πρὸς τούτοις ἅπασιν, ἔτι καὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε. λέγομεν δὴ τῆς σῆς δσιότητος, καὶ ἀκοινωνησίαν κατὰ τοῦ τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἑνοῦν σπουδάσαντος ἐμελέτησε ». — *Ad* ζ): « γνωρίζομεν δε, ὡς καὶ ἕτερά τινα... καὶ τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην διδάχθεῖσαν ἀποδέχεσθαί τε ταῦτα, καὶ βεβαιοῦν ». — *Ad* ι): « ... παρακαλοῦμεν τοίνυν, τίμησον καὶ ταῖς σαῖς ψήφοις τὴν κρίσιν, ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν εἰσενηνόχαμεν ».... — *Ad* λ):... « πᾶσαν ὑμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνορίημεν εἰς σύστασιν ἡμετέραν, καὶ τῶν παὶ ἡμῶν πεπραγμένων βεβαίουσιν τε, καὶ συνκατάθεσιν ».

67. Ex epistola Marciani, qua a Leone confirmationem Chalcedone gestorum petit: α) « Ergo omnia *secundum vota*

[1] Ep. 98, Labbe, VI, 147.

Sanctitatis tuae, quae fidei consonant definita sunt.... *et iuxta litteras Sanctitatis tuae omnes assenserunt expositioni, sicut veritas postulavit....* β) Quoniam vero et hoc constitutum est.... videlicet ut post apostolicam Sedem Constantinopolitanus statim Episcopus secundum habeat locum... *dignetur Sanctitas tua etiam huic parti assensum praebere;* (καταξιώσει ἡ σὴ ἁγωσύνη καὶ τούτῳ τῷ μέρει συναινέσαι).... Quapropter per Lucianum Dei amantissimum Episcopum et Basilium Diaconum *ut omnia vobis significarentur decrevimus, rogamusque ut quae a sancta Synodo constituta sunt etiam tua in Deum pietas in perpetuum observari praecipiat* » (1). (διὸ δὴ.... πάντα ὑμῖν γνωρισθῆναι ἐθεσπίσαμεν καὶ αἰτοῦμεν τα παρᾶ τῆς ἁγίας συνόδου τυπωθέντα, ἵνα καὶ ἡ σὴ εὐσέβεια εἰς τὸ διηνεκὲς παραφυλαχθῆναι προστάξῃ).

68. Ex epistola Anatolii, confirmationem eiusdem canonis petentis: α) « Et quoniam *opportebat omnia necessario ad notitiam tuae Sanctitatis referri,* quae consecuta sunt.... scribimus etiam rursus ista significantes.... (καὶ ἔδει ἅπαντα εἰς γνῶσιν τῆς σῆς ἁγιότητος ἀνενεχθῆναι τὰ παρακολουθήσαντα ἀναγκαίως....) β) Quoniam vero post ipsos [legatos pontificis] par erat, ut reliquae chartae, *quae debent necessario ad vestram cognitionem venire,* (πρέπον ἦν τοῦς ὑπολελειμμένους καὶ εἰς γνῶσιν ὑμῶν [apud Labbe: ἡμῶν, quod certe lapsus typographicus est!] ἀναγκαίως ἐλθεῖν ὀφείλοντας χάρτας, καὶ δι' ἡμετέρων ἀνδρῶν ἀποσταλῆναι),... *eo quod specialiter quaedam a nobis acta sunt,....* γ) Ita vero cum omnes res bene essent progressae, atque in laetitiam desiissent; piissimi protinus Episcopi Paschasinus et Lucentius et reverendissimus Presbyter Bonifacius.... *ignorantes intentionem vestrae Sanctitatis,* quam habetis erga Constantinopolis sanctissimam Ecclesiam, *postquam signavit sancta Synodus, et subscriptione firmavit huiusmodi definitionem, reiiciunt Synodum,* turbant et confusione implent consessum.... (μετὰ τὸ τυπῶσαι τὴν ἁγίαν συνόδον, καὶ δι' ὑπογραφῆς βεβαιῶσαι τὸν τοιοῦτον ὅρον, ἀνασοβοῦσι μὲν τὴν συνόδον, ταράττουσι δε. καὶ συγχύσεως πληροῦσι τὸ συνέδριον....) δ)... et honoris gratia, quo vos prosequimur, *eiusmodi etiam decretum ad vestram sanctitatem*

(1) Ep. 100. Labbe, VI, 170.

sancta Synodus retulit, et nos, *ut approbationem a vobis confirmationemque consequamur; obsecramusque, ut hoc etiam per vos, o sanctissimi efficiatur. Nam sedes Constantinopolis habet patrem thronum apostolicum vestrum....* ut ex vestra de ipsa sollicitudine omnes quidem intelligant, vos iamdiu ipsius commodis consulentes, etiam nunc eandem curam habere de illa. Et sicut utilia ecclesiastico statui *omnia quae consecuta sunt, et rite gesta in sanctissima et universali synodo, rata habere dignabimini; ipsam quoque definitionem supradictam* de sede Constantinopolitana *curavimus mittendam ad vestram sanctitatem* » (1)... καὶ τιμῇ τῇ περὶ ὑμᾶς καὶ τὸν τοιοῦτον τύπον ἐπὶ τὴν ὑμετέραν δσιότητα ἡ ἁγία σύνοδος ἀνήνεγκε καὶ ἡμεῖς, ἐφ' ᾧ τε παρ' ὑμῶν τυχεῖν συναινέσεως, καὶ βεβαιότητος, παρακαλοῦμεν τε, καὶ τοῦτο παρ' ὑμῶν γενέσθαι ἁγιώτατοι· Ὁ γὰρ θρόνος Κωνσταντινουπόλεως ἔχει πατέρα τὸν ἀποστόλικον θρόνον ὑμῶν....)

69. Ex epistola Papae ad imperatorem: α) Habeat, sicut optamus Constantinopolitana civitas gloriam suam.... Alia tamen ratio est rerum saecularium, alia divinarum: *nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio....* (καὶ μὴ παρ' ἐκείνην τὴν πέτραν, ἥτινα ὁ δεσπότης ἐν τῷ θεμελίῳ τέθηκεν, ἔστω ἰσχυρὸν οἷον δή ποτε κατασκεύασμα, ...). Satis sit praedicto quod vestrae pietatis auxilio, *et mei favoris assensu, Episcopatum tantae urbis obtinuit.* Non dedignetur Regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem.... β) *quoniam dispensatio mihi credita est,* (ἐπειδήπερ διοικήσεώς μοι ἐγκεχείρισται) et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum, *quae in Synodo Nicaena, ad totius Ecclesiae regimen Spiritu Dei instruente, sunt conditae,* me (quod absit) connivente, violentur » (2).

70. Ex epistola Papae ad Pulcheriam: « *Consensiones Episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes... in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.... ita ut etiam si multo plures aliud, quam illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit haben-*

(1) Ep. 101. Labbe, VI, 171 sq. (2) Ep. 104. Labbe, VI, 191.

dum, quidquid fuerit a praedictorum constitutione diversum » (1).

71. Ex epistola papae ad Anatolium: « Nec potest de eorum [legatorum scilicet] contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi haec scribendo commendas; *sed temetipsum, quod eis parere nolueris* (ὅτι περ αὐτοῖς πειθαρχῆσαι οὐκ ἠνέσχου), *dum illicita moliris, accusas,* superflue non concedenda appetens,... quae nullum umquam poterunt nostrum obtinere consensum » (2).

72. Ex epistola altera Marciani ad papam: α) « Miramur supra modum, quod post Chalcedonensem Synodum, *et litteras venerabilium episcoporum ad tuam Sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa Synodo acta significabant,* nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint, quas videlicet in sanctissimis ecclesiis perlectas, *in omnium oportebat notitiam venire.* (ἅτινα δηλονότι ἐν ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ἀναγνωσθέντα εἰς τὴν τῶν ἁπάντων ὤφειλε γνῶσιν ἐλθεῖν·) Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam iniecit, *utrum tua Beatitudo, quae in sancta synodo decreta sunt, confirmaverit.* (ὅπερ τινῶν ταῖς ψυχαῖς.... ἀμφιβολίαν πολλὴν ἐνέβαλε, πότερον ἡ σὴ μακαριότης τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τυπωθέντα ἐβεβαίωτε.) β) Et ob eam rem tua pietas litteras mittere dignabitur, *per quas omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta Synodo peracta, a tua Beatitudine rata haberi....* Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum celerrime emittat *quo confirmare ipsam Chalcedonensem Synodum manifestissime ostendat, ut ii qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem de iudicio tuae Sanctitatis* » (3). (καὶ διὰ τοῦτο ἡ σὴ εὐλάβεια γράμματα ἐκπέμψαι καταξιώσει, δι' ὧν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις καὶ τοῖς δήμοις φανερὰ γενήσεται τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ πεπραγμένα παρὰ τῆς σῆς μακαριότητος βεβαιῶσθαι...).

73. Ex epistola altera Anatolii ad Papam: α) ... « nunc vero cunctis aliis acrior me pressit anxietas, quam diutina

(1) Ep. 105. Labbe, VI, 198. (2) Ep. 106. Labbe, VI, 202.
(3) Ep. 107. Labbe, VI, 215, 218.

peperit vestrae non solita Sanctitatis intermissio litterarum.... qui frequentius cuperem potiri vestris affatibus: *ut illa vobis obediendo complerem, quae vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus absit, ut eis ego quaecumque mihi fuissent mandata per litteras, adversarer....* β) De his autem quae Constantinopolitanae gratia Sedis sancita sunt in Calchedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me.... *Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerit reservata* » (1).

74. Ex epistola Papae ad Marcianum, ubi Anatolio gratiam, si resipiscat, promittit:.... « Si vero quae Deo et pietati vestrae displicent, pertinaci intentione delegerit, *salva mansuetudinis vestrae reverentia, utar cum omnibus, et pro omnibus,* vobis quoque annitentibus, *adversus superbientem liberiore constantia,* quem (quod saepe dicendum est) mallem pro sanctis actibus fraterna caritate complecti, gloriosissime Imperator » (2).

75. Ex epistola episcoporum Moesiae secundae ad Leonem imperatorem: « Hoc autem adstruimus, confiteri nos, et perdurare in fide quam in urbe Nicaena trecenti decem et octo.... tradiderunt.... super haec autem et quae ad peremptionem Eutychianae vesaniae de humanatione Salvatoris, *in Chalcedonensis civitate multis sanctis episcopis convenientibus per iussionem Leonis Romani pontificis, qui vere caput est episcoporum* »..... (3).

* * *

Et haec sufficiant! Non omnia quae adhuc adduci poterant, adduximus, non perpauca enim brevitatis causa omittere cogebamur. Attamen et haec quae praesto sunt, satis nobis tam concilii huius, quam coaevorum eiusdem de Pontificis Romani primatu patefacere queunt mentem. Restat igitur, ut ea, quae in testimoniis istis de primatu sive explicite sive implicite continentur, disertius explanemus.

---

(1) Ep. 132. Labbe, VI, 277. (2) Ep. 134. Labbe, VI, 288.
(3) Labbe, VI, 546.

QUID DOCUMENTA SUPRA ADDUCTA PROBANT?

Quicumque documenta, quae pro primatu Pontificis Romani hucusque allegavimus, attenta consideratione perlegit, omnia illa elementa, quae hodie in catholica de primatu doctrina docentur, absque magno mentis labore detegere potuit. In iisdem quidem: *a)* Pontifex Romanus S. Petri successor declaratur. *b)* Ipsi iurisdictio in universam ecclesiam agnoscitur. *c)* Super concilia auctoritatem exercens exhibetur. *d)* Fidei magister supremus atque indeficiens denuntiatur.

Ut igitur hoc quod affirmamus, ex testimoniis circumquaque dispersis, clarius appareat, opus est illa ita recolligere atque disponere, ut singula singulis affirmationibus, quas superius statuimus, apte et accurate respondeant. Quod ordine indicto praestaturi sumus.

§ 1. — Pontifex Romanus S. Petri successor declaratur.

a) **Ipse Papa Leo** saepius in auctoritate sua exercenda ad auctoritatem sedis S. Petri, quam tenuit, provocabat. Ita α) ad synodum ephesinam scribens ait de Theodosio imperatore: « Religiosa clementissimi Principis fides... hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum *auctoritatem apostolicae Sedis adhiberet: tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari*, quid in eius confessione laudatum sit.... (n. 8) (1). β) Theodosio

(1) Numerus in uncis, quem passim testimoniis apponemus, significat numerum a nobis singulis documentis prius praefixum.

imperatori de latrocinio ephesino scribens, totam vim auctoritatis suae ita exprimit: « Antea et ab initio in iis, quae factae sunt, Synodis *tantam nos accepimus fiduciam a Sanctissimo Petro et Principe Apostolorum*, ut potestatem habeamus et veritatis vindicandae pro nostra pace, et nemini ipsam liceat, cum munita adeo sit, concutere.... (n. 13). γ) Ad presbyteros constantinopolitanos, qui saepius Papam consuluerunt, sollicitudinem suam circa eorum ecclesiam, sequentibus exponit verbis: « Memor enim sum, *me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino Iesu Christo est glorificata confessio,...* et intelligo mihi aliud non licere, quam ut omnes conatus meos ei causae, in qua universalis Ecclesiae salus infestatur, impendam » (n. 19). δ) Item ad concilium chalcedonense dicit imperatorem concilium convocasse: « *beatissimi Petri Apostoli iure atque honore servato, adeo, ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret* » (n. 26). ε) In epistola ad Pulcheriam canonem 28. chalcedonensem reiicit nomine S. Petri: « Consensiones vero Episcoporum.... in irritum mittimus, *et per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus* » (n. 70).

Papa ergo constanter ut S. Petri successor semet gerebat et auctoritatem suam universalem hac successione vindicabat.

b) **Hoc idem episcopi tam orientales quam occidentales absque ulla haesitatione profitentur.** Ita: α) Theodoretus Cyrensis Papam sequenti modo alloquitur: « Si Paulus praeco veritatis, tuba Spiritus sancti, *ad magnum Petrum se contulit.... multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram accurrimus....* Vobis enim primas in omnibus tenere convenit » (n. 30, α, β). Ac si apperte dicere voluisset: Si Paulus, ille tam grandis apostolus cucurrit ad Petrum, quidni ego pusillus et humilis? Iamvero ubi est Petrus? In vestra apostolica sede!... β) Flavianus Constantinopolitanus simpliciter sedem Papae vocat sedem Petri: « *Me appellante thronum apostolicae sedis principis apostolorum Petri* » (n. 35 β). γ) His addimus Petrum Chrysologum, qui occidentalis quidem episcopus est, orientalem tamen hominem, Eutychem monens, ita scribit: « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quae a beatis-

simo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: *quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet*, praestat quaerentibus fidei veritatem» (n. 37 β). δ) Epistola synodica mediolanensis similiter (n. 65).

c) **Caeteri fideles idem sentiunt.** Ita: α) Imperator Valentinianus Theodosio scribens, iura Romanae sedis ita defendit: «debemus.... *dignitatem propriae venerationis beato Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare:* quatenus beatissimus Romanae civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et Sacerdotibus iudicare»... (n. 38 α). β) Galla Placidia ad Theodosium:.... «tua mansuetudo.... praecipiat: ut secundum formam et definitionem apostolicae Sedis, quam etiam nos tamquam praecellentem similiter veneramur.... *in qua primus ille, qui caelestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit*» (n. 39). γ) Eadem ad Pulcheriam:.... «et omnibus integris permanentibus, ad apostolicae Sedis, *in qua primus Apostolorum beatus Petrus, qui etiam claves regnorum caelestium suscipiens, Sacerdotii principatum tenuit*, episcopatus causa mittatur» (n. 40).

Nonne isti hodiernae catholicae doctrinae de primatu studuisse videntur? Quam concinne et clare eundem exprimunt!

d) **Idipsum totum concilium chalcedonense, tam ante quam post canonem 28. profitetur.** Etenim: α) In actione secunda, perlecta expositione fidei, quam Leo conscripsit, patres clamabant: «*Petrus per Leonem ita locutus est*» (n. 49). β) Damnatio Dioscori ita pronuntiata est: «Unde sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro apostolo, qui est petra et crepido catholicae ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam».... (n. 52). Et omnes episcopi absque ulla reclamatione aut haesitatione subscribunt, quamvis tota synodus ut simplex instrumentum exhibeatur papae, qui per synodum et cum beato Petro apostolo Dioscorum damnat. Idem profitetur concilium in epistola imperatrici missa:.... «ipsique naves suas in cursu repetiere rectores, Christo ad

intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia, *sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore* » (n. 54). γ) Eodem sensu concilium scripsit et imperatori (n. 64). δ) Similiter in epistola ad papam directa: « Quid enim fide sublimius ad laetandum?.... Quam veluti auro textam seriem *ex praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres* et eius fidei beatificationem super omnes adducens » (n. 66 α).

e) **Sedes Pontificis Romani** ab omnibus indiscriminatim per antonomasiam « *sedes apostolica* » appellatur idque innumeris pene vicibus in epistolis et concilio fiebat, dum contra numquam hoc nomine ulla alia sedes ornabatur.

* * *

Scopus paragraphi huius non erat demonstrare Romanos Pontifices, reapse successores esse S. Petri in sede Romana, hoc enim libenter ab omnibus qui historiam noverunt, conceditur, neque a dissidentibus infitias itur, sed potius illos illius auctoritatis, quam S. Petrus a Christo Domino in universam accepit ecclesiam, haeredes fuisse ac esse, hocque tempore concilii chalcedonensis a tota ecclesia agnitum fuisse. Iamvero ita rem se habere ex testimoniis allatis patet. Neque hac in re affirmatio, quae post schisma in theologiam dissidentium invecta est, iuxta quam S. Petrus quoque inter apostolos mero honoris primatu gavisus esset, quidquam eos iuvat; etenim aliter rem se habuisse, tum ex S. Scriptura, tum ex Patribus, tum ex aliis vetustatis monumentis demonstrari potest, quodque hic iam notum supponimus. Insuper, vel ipsa testimonia, quae adduximus, contra illam pugnant affirmationem. Propter Petrum enim Papa sibi adscribit eam auctoritatem ac potestatem, quam nemini licet, « cum munita adeo sit, concutere »; propter Petrum Theodoretus Cyrensis Pontifici Romano dicit: « Vobis enim primas in omnibus tenere convenit »; propter Petrum Flavianus thronum apostolicae sedis appellat; Petrus in apostolica sede vivit et praesidet atque quaerentibus fidei praestat veritatem, sicut Petrus

Chrysologus ait; propter Petrum Valentinianus imperator principatum Sacerdotii ab antiquitate Pontifici Romano, ac facultatem de fide et Sacerdotibus iudicandi collatam fuisse, testatur; propter Petrum, « qui etiam claves regnorum caelestium suscipiens, Sacerdotii principatum tenuit », episcopatus causae a Pontifice Romano iudicandae a Galla Placidia adducuntur. Et haec Valentiniani et Placidiae testimonia eo cariora nobis sunt, quod non theologorum doctorum, sed fidelium simplicium fidem ex illo tempore manifestant. Denique iuxta totum concilium, Pontifex Romanus « ex praecepto legislatoris » (certe non imperatoris, sed Christi Domini!) « vocis beati Petri omnibus constitutus interpres », fidei auro textam seriem servat.

Hinc nihil aliud amplius superest, quam penitius adhuc inspicere, quousque ex documentis nostris auctoritas Pontificis Romani, ob successionem in S. Petri sedem, speciatim semet protenderit. Ad quod quaesitum sequentes responsum praestabunt paragraphi.

§ 2. — Pontifici Romano iurisdictio competit universalis.

Pontifici Romano iurisdictionem universalem agnitam fuisse tempore nostri concilii, colligimus ex eo, quod in documentis exhibetur: *a)* ut caput ecclesiae, speciatim episcoporum; *b)* ut curam totius ecclesiae gerens; *c)* ut episcoporum rector; *d)* ut appellationum tribunal supremum. Haec divisio, ut cuique perspicuum, non diversitatem iurium, sed unius et eiusdem iurisdictionis specificationes exhibet atque eius extensionem manifestius proponit. Videamus ergo, quid quoad singula ista documentorum testimonia contineant.

A) **Pontifex Romanus caput ecclesiae et speciatim episcoporum dicitur et agnoscitur** tum a fidelibus laicis, tum ab episcopis, tum ab integro concilio chalcedonensi.

a) **Fideles laici**: α) Marcianus, imperator proclamatus, ita Leonem alloquitur: « Unde pro reverenda et catholica religione fidei christianorum.... *tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu, divinae fidei possidentem*, sacris lit-

teris in principio iustum credimus alloquendam » (n. 31 α). β) Valentinianus imperator scribens ad Theodosium: « *quatenus beatissimus Romanae civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit*, locum habeat ac facultatem de fide et Sacerdotibus iudicare » (38 α). γ) Galla Placidia in epistola ad eundem Theodosium: « ut secundum formam et definitionem *apostolicae Sedis*.... iudicium transmittatur, *in qua primus ille, qui caelestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit* » (n. 39).

b) **Episcopi**: α) Theodoretus Cyrensis ad Leonem provocans dicit: « *Vobis enim primas in omnibus tenere convenit* » (n. 30 β). Item ad Renatum: « Habet enim sanctissima illa sedes *omnium per Orbem Ecclesiarum ducatum et principatum* multis quidem de causis » (n. 41). β) Episcopi Moesiae secundae defendendo concilium Chalcedonense, dicunt illud celebratum fuisse: « multis sanctis episcopis convenientibus per iussionem Leonis Romani pontificis, *qui vere caput est episcoporum* » (n. 75).

c) **Concilium idipsum profitetur**: α) Delegati papae Dioscorum a concilio excludi debere sequentibus declararunt verbis: « Beatissimi atque apostolici viri papae urbis Romae, *quae est caput omnium ecclesiarum*, praecepta habemus.... ut Dioscorus.... non sedeat in concilio » (n. 42). — Et nemo episcoporum contra hanc affirmationem vel hiscere conatus est quidquam. β) In quatuor accusationibus contra Dioscorum porrectis, inscriptio legebatur: « Sanctissimo et beatissimo *universali archiepiscopo* et patriarchae magnae Romae Leoni » (n. 51) et iterum nemo contradicit – erat enim omnibus notum, hac re nihil novi introductum fuisse. Immo γ) ipsum concilium simul sumptum hoc idem ita exprimit: *Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras* in his qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens » (n. 66 δ). Et iterum: « Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium, *et sicut nos capiti* in bonis adiecimus consonantiam, *sic et summitas tua filiis* quod decet adimpleat » (n. 66 κ).

Atqui si Pontifex Romanus constanter cum capite corporis

comparatur, hoc aliunde fieri nequit, nisi ipsi actiones capitis ad corpus et singula membra conveniant, id est directio et imperium in totum ecclesiae corpus et singula eiusdem membra. Et re vera.

B) **Pontifex Romanus totius ecclesiae curam gerit.** Hoc suum munus esse profitetur: *a)* **Ipse Papa et quidem saepius.** Ita: α) Scribens Eutychi: « *Nos autem.... necesse est, auxiliante Domino providere:* quatenus nefandum virus, dudumque damnatum radicitus possit extingui » (n. 1). β) Flaviano Constantinopolitano: « Et ideo quia dilectio tua *de tanta causa nos videt necessario sollicitos,* quam plenissime et lucide quod antea facere debuit, indicare festinet » (n. 2 γ). γ) Ad Iulianum Coensem:.... « cum iam per nostros ad fratrem Flavianum sufficientes litteras miserimus, *ad confirmandos animos non solum Sacerdotum, sed etiam laicorum* » (n. 9). δ) Ad Constantinopolitanos: « Nunc quia Ecclesiam vestram hac ratione cognovimus dissipatam, *consolandos adhortandosque vos esse credidimus nostris epistolis* » (n. 17 α). ε) Item ad eosdem: « *cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus,* quibus *confirmationem quam expetistis, ultro praebuimus: ut nos paternam vobis curam non dubitetis impendere* » (n. 17 β). ζ) Item presbyteros Constantinopolitanos Martinum et Faustum.... « *et intelligo mihi aliud non licere, quam ut omnes conatus meos ei causae, in qua universalis Ecclesiae salus infestatur, impendam* » (n. 19). κ) Ad imperatricem Pulcheriam de Anatolio ita scribit: « *Quod tamen mearum partium est, praeterire non debeo,* ut scilicet quid de Incarnatione Filii Dei a Constantinopolitano Episcopo teneatur, agnoscam » (n. 21). λ) In epistola ad imperatorem Marcianum: « Pleniora autem de omnibus, *quae ad curam meam pro statu Ecclesiarum, et concordia pertinent Domini Sacerdotum,* per legatos nostros scripta direximus » (n. 22). μ) Curam de ecclesia Eusebii Dorylaei Anatolio committit: « *cuius Ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam,* ut nihil eodem absente depereat, *et nullus ei in aliquo praeiudicare praesumat, donec cum litterarum nostrarum* ad vos prosecutione perveniat » (n. 24 γ). ν) Denuo in litte-

ris ad imperatorem: « *quoniam dispensatio mihi credita est,* et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum.... me connivente, violentur » (n. 69 β).

b) **Episcopi hoc idem dicunt.** Ita: α) Flavianus Eutychis causam exponens, ait: « Commotus igitur, sanctissime Pater.... *solita fiducia utere,* sicut Sacerdotio convenit, *et vindicans communem rem sanctarumque Ecclesiarum compositionem,* dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni canonicae adversus eum factae » (n. 29 β). β) Eusebius Dorylaei dicit: « Ab exordio consuevit thronus apostolicus iniqua perferentes defensare.... causa autem rei, quod.... inconcussam servatis.... fidem, nec non etiam indissimulatam *universis fratribus et omnibus in nomine Christi vocatis tribuitis caritatem* » (n. 36 α, β). γ) Theodoretus Cyrensis: « Habet enim sanctissima illa sedes *omnium per Orbem Ecclesiarum ducatum* » (n. 41). δ) Anatolius idem confitetur: « Nam sedes Constantinopolis habet patrem thronum apostolicum vestrum.... *ut ex vestra de ipsa sollicitudine* omnes quidem intelligant, *vos iamdiu ipsius commodis consulentes, etiam nunc eandem curam habere de illa* » (n. 68 δ).

c) **Nec potestas civilis aliter sentit,** imperator enim Marcianus ita Papam alloquitur: « Miramur supra modum quod.... nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint, *quas videlicet in sanctissimis Ecclesiis perlectas, in omnium oportebat notitiam venire....* Ob eam rem tua pietas litteras mittere dignabitur, *per quas omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat* in sancta Synodo peracta, a tua Beatitudine rata haberi » (n. 72 α, β).

d) **Concilium pariter idem agnoscit,** nam de Dioscoro ita Papae scribit: « et contra ipsum, *cui vineae custodia a Salvatore commissa est,* extendit insaniam, id est contra tuam quoque dicimus Sanctitatem; *et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas* ». Item paulo inferius:.... « quia lucente apud vos apostolico radio, et usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam, *consuete gubernando parentes, hunc saepius expandetis eo, quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos* » (n. 66 ε, η).

C) Pontifex Romanus est episcoporum rector. Ab iisdem enim: *a)* exigit obedientiam *b)* eos in communionem recipit vel ab ea excludit sicut et eorum presbyteros, atque ipsis dioeceses restituit.

a) Papa exigit obedientiam: α) A Flaviano, ita ad eundem de casu Eutychis scribens: « Sed respicientes ad causam, *facti tui nosse volumus rationem; et usque ad nostram notitiam cuncta deferri* » (n. 2 β). β) Ad Theodosium imperatorem de eodem Flaviano scribens dicit: « Ad praedictum autem Episcopum litteras dedi, *quibus mihi displicere cognosceret*, quod ea.... etiam nunc silentio detineret, *cum studere debuerit primitus nobis cuncta* reserare: quem credimus *vel post admonitionem* omnia ad nostram notitiam relaturum » (n. 3 β). γ) Denuo Flaviano dicit: « Olim ad fraternitatem tuam nostros credimus pervenisse, *per quos plenius scriptis mandatisque nostris instructum te esse retines* » (n. 12). δ) Per Theodosium Anatolio sequentes conditiones, si communionem secum assequi voluerit, adimplendas iniungit: « Non aspernetur etiam meam epistolam recensere.... Catholicorum sententiis toto corde consentiat: ita ut sinceram communis fidei professionem, *absolutissima subscriptione, coram omni clero, et universa plebe declaret, apostolicae Sedi et universis Domini Sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam* » (n. 20 β). ε) Ad Anatolium ipsum: « De nominibus autem Dioscori, Iuvenalis et Eustachii ad sacrum altare recitandis *dilectionem tuam hoc decet custodire*, quod nostri ibidem constituti *faciendum esse dixerunt* ». Et paulo ulterius « hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, *in omnium volumus notitiam pervenire:* ut qui Deo nostro deserviunt, de confirmata apud te pace Sedis apostolicae gratulentur » (n. 24 β, δ). ξ) Immo et severius, ut in litteris ad Marcianum directis: « Si vero.... pertinaci intentione delegerit [Anatolius] *salva mansuetudinis vestrae reverentia, utar cum omnibus et pro omnibus.... adversus superbientem liberiore constantia* » (n. 74).

Quid autem ad hunc agendi modum alii dicunt? Contradicunt, vel forsan negant Pontificem Romanum obedientiam ab Orientalibus exigere posse? Nequaquam, sed aliqui

ultro obedientiam promittunt, alii moniti se subiiciunt. Ita: α) Eutyches: « Rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestrae, *et quod vobis videretur iudicaretis, profitens omnibus modis me secuturum quae probassetis* » (n. 28 α). β) Flavianus Papam de tota causa Eutychis certiorem reddidit atque ita rogavit: « *dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni* canonicae adversus eum factae » (29 β). γ) Theodoretus Cyrensis ita Papam affatur: « Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non: *vestram enim sententiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo,* neque ulli hominum deinceps molestus ero » (n. 30 δ). Item in epistola ad Renatum ita dicit: « tuam oro sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo, *ut Apostolica utatur auctoritate et praecipiat ad vestrum convolare Concilium* » (n. 41). δ) Pulcheria rescribens Papae de Anatolio: « Anatolius.... *tuarum litterarum apostolicam confessionem complectitur*.... et epistolae namque similiter catholicae fidei.... *sine aliqua dilatione subscripsit* » (n. 33 α). ε) Ipse Anatolius, postquam Papa eum de canone 28. increpavit: « qui frequentius cuperem potiri vestris affatibus: *ut illa vobis obediendo complerem, quae vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus absit, ut eis ego quaecumque mihi fuissent mandata per litteras, adversarer* » (n. 73 α). ξ) Imperator timens, ne episcopi, quos canon 28. tangebat, reluctarent contra ipsum, ita Papam alloquitur: « ut omnia vobis significarentur decrevimus, rogamusque ut quae a sancta Synodo constituta sunt, *etiam tua in Deum pietas in perpetuum observari praecipiat* » (n. 67 β). ϰ) Ipsum concilium Dioscoro magno inscribit crimini denegationem lectionis epistolae, quam Papa Ephesum misit: « Non est lecta, sed retenta ab eo epistola synodica.... *Et septies iuravit coram omnibus facere eam recitari*, et non est lecta. Et peieravit, quia iuravit » (n. 46 et 53).

b) Pontifex Romanus episcopos et presbyteros deponit et restituit, in communionem recipit vel a communione excludit. Deposuit Dioscorum: « Unde sanctissi-

mus et beatissimus archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et praesentem sanctam synodum.... *nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio* » (n. 52). Et hoc erat factum rogatu ipsius synodi: « Petimus igitur vestram sanctitatem, *qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi papae Leonis*, promulgare in eum, et regulis insitam contra eum proferre sententiam. *Omnes enim, et tota universalis synodus concors efficitur vestrae sanctitatis sententiae* » (Ib. initio).

Restituit episcopatum: α) Theodoreto: « Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, *quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo*, et sacratissimus imperator sanxit eum adesse sanctae synodi » (n. 44). β) Maximo Antiocheno: « *quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens, praeesse eum Antiochensium iudicavit ecclesiae* » (n. 58 β). Et iterum: « *Sanctus et beatissimus papa, qui episcopatum sancti ac venerabilis Maximi episcopi Antiochenae ecclesiae confirmavit* » (n. 59). γ) Anatolius Papae sedem suam debet. Scribit enim ipse Leo ad imperatorem: « Satis sit praedicto quod vestrae pietatis auxilio, *et mei favoris assensu, Episcopatum tantae urbis obtinuit* (n. 69 α).

Pontifex Romanus episcopos et sacerdotes in communionem catholicae ecclesiae recipit vel ab ea excludit: α) Papa ipse taliter agendi sibi adscribit ius. Ita in epistola ad Pulcheriam: « Sedis enim apostolicae moderatio hanc temperantiam servat, *ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupit praestare correctis* » (n. 6). Item in epistola ad Anastasium Thessalonicensem: « Nobis enim ab Evangelio .... nullatenus recedentibus *definitissimum est in nostrae communionis numero non futuros eos* qui conantur antiqua catholicae fidei fundamenta convellere » (n. 16 β). Item in epistola ad constantinopolitanos: « Quisquis enim incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro, Sacerdotium fuerit ausus invadere, *numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit nu-*

merari (n. 17 δ). β) **In communionem revera recepit**: Anatolium: « hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, *in omnium volumus notitiam pervenire:* ut qui Deo nostro deserviunt, *de confirmata apud te pace Sedis apostolicae* gratulentur » (24 δ). Item episcopos in latrocinio ephesino lapsos: « quorum desideriis *sic praebemus effectum*, ut correctis, et quae male sunt facta, propria subscriptione damnantibus.... *pacis gratia tribuatur* » (n. 23). Et in alia epistola: « De fratribus vero, quos et epistolis tuis et Legatorum nostrorum relatione *communionis nostrae cupidos esse cognovimus*.... volumus disponatur, quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant.... *pacis et communionis nostrae unitate laetentur* » (n. 24 α). In ecclesia constantinopolitana restituit presbyterum Aetium, archidiaconum autem Andream a communione excludendum iubet (1).

De quibusdam episcopis sibi reservat ius determinandi, utrum in communionem recipiendi sint an non: « De his autem qui in hac causa gravius peccavere.... horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, *maturioribus apostolicae Sedis consiliis reservetur*.... ut pertractata qualitate causarum, *nostra, quid observari debeat, sollicitudo constituat* » (n. 25 β, γ).

γ) **Et nemo contradicit**, sed tale Pontifici Romano competere ius ac potestatem tum presbyteri, tum episcopi, tum denique concilium ipsum profitentur. Profitetur vel ipse Eutyches: « Ad vos igitur religionis defensores.... confugio.... Et obsecro.... nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, *et non excuti et eximi de numero orthodoxorum* » (n. 28 β). Profitentur episcopi. Ita Theodoretus: « Ante omnia ut a vobis docear oro, *an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non: vestram enim sententiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo* » (n. 30 δ). Item Eusebius: « *pronuntiate evacuari et inanem fieri meam iniquam condemnationem... reddentes mihi dignitatem episcopatus et vestram communionem litteris vestris* » (n. 36 γ, sub fine). Anatolius resti-

(1) Ep. 111. Ad Marcianum. Labbe, VI, 218.

tuendo Aetium et excommunicando Andream, ut Papa ipsi iniunxit: « Et reverendissimus quidem.... Presbyter Aetius in priore loco.... *nobis est restitutus.* Andreas autem.... *ab ecclesia separatus est.... eo usque quamdiu quod vobis placitum super istis fuerit ordinatum* » (1).

Quanti fuerit valoris Papae decisio in huiusmodi casibus, ex ipsa confessione concilii patet, nam concilium ita imperatori scelus Dioscori describit: « Secundo vero, quia Eutychi.... tam sacerdotium quam monachorum principatum.... *irregulariter reddidit; et haec, cum sanctissimus et beatissimus magnae Romae archiepiscopus Leo per easdem litteras convenientia decrevisset,* et scelestem Eutychis in scriptis damnasset perfidiam » (n. 53). Item a concilio, quia Papa damnavit latrocinium ephesinum, ab omnibus hoc reiicitur, agnoscitur autem restitutio Maximi Antiocheni his verbis: *quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens, praeesse eum Antiochensium iudicavit ecclesiae* » (n. 58 β). Item iuxta concilium: *ipsique naves suas in cursu repetiere rectores,* Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem » (n. 54).

D) Pontifex Romanus est appellationum supremum tribunal. In hac affirmatione plura continentur et quidem: *a)* Papam habere ius episcopos iudicandi; *b)* episcopos caeterosque fideles posse ad eundem ab aliis tribunalibus provocare; *c)* Papam a nemine alio iudicari posse. Et re vera hoc tempore concilii chalcedonensis agnitum fuisse colligimus ex eo quod: α) **Papa sibi, nemine contradicente, ius iudicandi episcopos, multo magis presbyteros, adscribit.** Ita in epistola ad Anatolium: « De his autem, qui in hac causa gravius peccavere.... *maturioribus apostolicae Sedis consiliis reservetur: ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat, aestimetur* » (n. 25 β). Item in epistola ad Marcianum dicit de Anatolio: « Si vero quae Deo et pietati vestrae displicent, *pertinaci intentione delegerit, salva mansuetudinis vestrae*

(1) Ep. 132. Labbe, VI, 278.

reverentia, utar cum omnibus, et pro omnibus, adversus superbientem liberiore constantia » (n. 74).

Hanc potestatem Papae competere nemo negavit, plures autem agnoverunt. Ita α) Theodoretus: « *At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat* » (n. 30 γ). β) Imperator Valentinianus his verbis alloquens Theodosium: « debemus cum omni competenti devotione defendere et dignitatem propriae venerationis beato Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare: *quatenus beatissimus Romanae civitatis Episcopus,.... locum habeat ac facultatem de fide et Sacerdotibus iudicare* » (n. 38 α). γ) Galla Placidia: « tua mansuetudo praecipiat: *ut secundum formam et definitionem apostolicae Sedis....* in statu Sacerdotii illaeso manente per omnia Flaviano, *ad Concilii et Apostolicae Sedis iudicium transmittatur*, in qua primus ille, qui caelestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit » (n. 39). Et iterum ad Pulcheriam scribens: « ut.... omnibus integris permanentibus, *ad apostolicae Sedis.... episcopatus causa mittatur* » (n. 40).

b) **Appellationes ad Papam directae** demonstrant appellatoribus persuasum fuisse eum super alia tribunalia habere potestatem. Propterea ad Papam appellavit: α) Etyches: « rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestrae, *et quod vobis videretur iudicaretis, profitens omnibus modis me secuturum quae probassetis.* Sed nullo eorum quae a me dicebantur audito, abrupta synodo publicaverunt deiectionis sententiam. *Ad vos igitur religionis defensores.... confugio.... Et obsecro.... non excuti et eximi de numero orthodoxorum* » (n. 28).

Flavianus, contra quem eiusque concilium ista dirigebatur quaerela, non negat Eutychem haec facere potuisse, vel Papam non habere auctoritatem sese in res constantinopolitanas immiscendi, sed ita respondet Leoni: « redditae nobis sunt litterae Sanctitatis vestrae.... ex quibus edocti sumus, eumdem Eutychem libellos ad vos misisse plenos fallacia et astu, *dicentem se tempore Iudicii libellos Appel-*

lationis tradidisse nobis.... atque appellasse ad vestram sanctitatem: quod nequaquam ab eo factum est » (n. 29 α). Ex hoc testimonio clare apparet, non licuisse damnare aliquem, qui ad S. Sedem provocaverat. Sed Eutyches hoc non fecit. At etiam nunc, quamvis canonice sententia in eum prolata fuerit, eam Pontifex Romanus mutare poterat. Hinc Flavianus eum rogat: « *dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni canonicae adversus eum factae* » (n. 29 α, β). β) Flavianus idem fecit in latrocinio ephesino. Contra violentias a Dioscoro in se perpetratas inclamavit: *Appello a te!* ». Ad quem provocat? Ad Papam. Ita enim Leoni scribit: « *Me appellante thronum apostolicae sedis principis apostolorum Petri....* statim me circumvallat multitudo militaris.... *Oro itaque vestram sanctitatem, ne obdormire patiamini super his quae insipienti et furioso consilio circa me gesta sunt* » (n. 35 β). γ) Appellavit Theodoretus: « Si Paulus praeco veritatis, tuba Spiritus sancti, ad magnum Petrum se contulit, multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus.... *At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat* » (n. 30 α, γ). δ) Appellavit Eusebius Dorylaeensis: « Quam ob rem ego inevitabilibus inretitus *ad solum post domini relictum auxilium* afflictus et in extremis laborans *confugio*.... deprecor vestram beatitudinem et genua vestra tangens.... *pronuntiate evacuari et inanem fieri meam iniquam condemnationem* a religiosissimo episcopo Dioscoro, *reddentes mihi dignitatem episcopalem et vestram communionem litteris vestris* » (n. 36 β, γ).

Huiusmodi appellationes nihil esse novi, imperator Valentinianus in epistola ad Theodosium testatur his verbis: « Hac enim gratia *secundum solemnitatem Conciliorum* et Constantinopolitanus Episcopus eum *per libellos appellavit*, propter contentionem quae orta est de fide » (n. 38 β).

c) **Papam a nullo alio iudicari posse,** satis clare manifestant concilii chalcedonensis verba, quae horrorem de

tali, a Dioscoro tentamine suscepto, exprimunt: Ad imperatorem enim concilium ita scribit de scelere illo: « Sed quoniam super alias suas nequitias *et adversus apostolicam sedem latravit, et excommunicationis litteras adversus sanctissimum et beatissimum papam Leonem facere conatus est*.... episcopali dignitate pronuntiatus est alienus » (n. 53 sub fine). Et in epistola ad papam: « Et post haec omnia, *insuper et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam*, id est contra tuam quoque dicimus Sanctitatem; *et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas* » (n. 66 ε).

Notari debent verba concilii, secundum quae Dioscorus, quamvis excommunicationem hanc protulerit, eam tantummodo facere conatus, atque meditatus fuisse dicitur, quibus verbis consilium satis clare exprimit huiusmodi Dioscori factum omni destitutum fuisse valore ac proinde veram insaniam vocari posse!

* * *

Quamvis non omnia, quae adhuc ex documentis nostris deduci poterant, in praesenti paragrapho deducta sint, attamen his quoque, quibus affirmatio nostra de primatu verae iurisdictionis a Pontifice Romano universaliter exercitae et a tota ecclesia agnitae hic fulta conspicitur, satis superque demonstrari arbitramur, vanam atque omni fundamento historico carentem eorum esse doctrinam, qui Pontifici Romano a concilio chalcedonensi merum primatum honoris delatum fuisse asserunt.

Obiectio 1. Eutyches et Dioscorus inobedientes permanserunt. Atqui hoc non fecissent, si papam suum superiorem credidissent.

Respondeo: α) ad hominem: Christiani saepe mandatis Dei non obediunt. Ergo Deus non habet ius ipsis imperare!... β) speciatim: Eutyches in sua appellatione ad Papam eidem promisit obedientiam, qualiscumque eiusdem decisio foret. Ergo agnovit eius auctoritatem supremam. Si postea non obedivit, ipse semet mendacii accusat. Dioscorus itidem septies

iuravit coram episcopis papae epistulam lectum iri. Ergo agnovit Papae obediendum esse. γ) Quia non obedierunt, a concilio chalcedonensi ambo damnati sunt. — Ergo eorum inobedientia auctoritatem papae non infringit, sed potius confirmat.

Obiectio 2. Imperator Theodosius Papae, qui ab eo exigebat, ut Flavianum restitueret atque concilium convocaret, restitit. Ergo eius auctoritatem non agnovit.

Respondeo: α) Sicut supra ad hominem. β) Nullibi Papae auctoritatem negavit, sed erronee putans Ephesi omnia « multa libertate ac integra veritate » facta fuisse, novam inquisitionem inutilem esse autumabat (1). γ) Papae auctoritatem superiorem directe agnovit petendo ab ipso, ut Anatolium agnosceret atque in constantinopolitanae ecclesiae episcopatu confirmaret (2).

§ 3. — Papa super concilia auctoritatem exercet.

Pontifici Romano auctoritatem conciliis superiorem in documentis ad synodum chalcedonensem pertinentibus multifariam agnitam fuisse reperimus. In iisdem enim Papae adscribitur: α) ius concilia convocandi; β) ius iisdem praesidendi; γ) ius normas dandi, quid et quomodo agendum; δ) ius contra concilii sententias appellationes recipiendi; ε) ius concilii decisiones approbandi vel repudiandi; ζ) ius ex se solo causas fidei et ecclesiarum dirimendi. De singulis breviter quaedam dicemus.

a) **Ius concilia convocandi spectat ad Papam.** Hac de re multa ultimis temporibus scribebantur. Causam vero disputationum multarum F. X. Funk libro suo « Kirchengeschichtliche Abhandlungen » in dissertatione: « Die Berufungen der ökumenischen Synoden des Altertums » subministravit. Ipse enim convocationes conciliorum vetustorum

(1) Cfr. Ep. 62 et 63. Labbe VI, 67, 70. In epistola autem ad Liciniam ita dicit: « quae in hac causa subsecuta sint, reverendissimo Archiepiscopo Leoni perfecte nostra mansuetudo significavit ». Ep. 53, Labbe, VI, 71.

(2) Ep. 69. Labbe, VI, 83.

examinans, illa non nomine Papae, sed auctoritate imperatorum convocata fuisse reperiit. Omnes enim convocationes horum conciliorum ab imperatoribus emanant, nec in ulla istarum ad Papae decisionem aut delegationem alluditur, sed ubique imperatores propria auctoritate id facientes apparent. Hinc conclusio, quam Funk suam fecit, hoc modo sonat: « Imperatores ergo conciliorum convocationem, etsi aliquorum episcoporum consilio usi sint, tamquam rem in qua suo marte decidere poterant, considerabant. Siquidem ipsi actum hunc ad res ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας connumerabant, ubi, sicut iam Constantinus Magnus expresse aiebat, seipsos episcopos aestimabant. (Eus. V. C. IV. 24). Qua in re assensu certi cuiusdam episcopi, speciatim vero Papae sibi opus fuisse, nec in mentem cogitatio ipsis venit ([1]). Ut claret, in praesenti de solis conciliis oecumenicis agimus, et de his dicimus, soli papae competere ius ea convocandi. Impraesentiarum, ut per se patet, nonnisi ad illa testimonia, quae ex documentis ad nostrum concilium pertinentibus erui possunt, provocamus. Iamvero nostrum concilium non absque scitu ac permissu Papae convocatum fuisse arguimus ita: α) Ipse Papa saepius, ut concilium convocetur, a Theodosio petiit, immo et legatos hunc in finem Constantinopolim misit, qui tamen iam Marcianum regnantem invenere. β) Marcianus ab ipsis Papae desiderium percipiens, ita eundem in prima epistola alloquitur:.... « tuam Sanctitatem.... in principio iustum credimus alloquendam: invitantes atque rogantes, ut.... aeternam Divinitatem tua Sanctitas deprecetur; ut et tale propositum atque desi-

([1]) « Die Kaiser sahen die Berufungen der Konzilien hiernach als eine Angelegenheit an, über die sie selbständig zu entscheiden hatten, wenn sie sich auch des Rates einiger Bischöfe bedienten. Sie rechneten den Akt zu den ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας, und in diesen Dingen betrachteten sie sich selbst als Bischöfe, wie schon Konstantin d. Gr. ausdrücklich erklärte. (Eus. V. C. IV. 24). Der Gedanke, dazu der Zustimmung eines bestimmten Bischofs, näherhin des Papstes, zu bedürfen, lag ihnen durchaus ferne ». (I. p. 56. Cf. etiam vol. III. 1907, p. 143-149). Contra scripserunt: C. A. Kneller: « Zur Berufung der Konzilien ». (Zeitschrift für kathol. Theologie, 1907, p. 51-76). Blötzer: « Der hl. Stuhl und die ökumenischen Synoden des Altertums ». (In eodem periodico folio 1886, p. 86-106. Cfr. etiam F. Forget: Conciles, col. 644 sq.).

derium habeamus, quatenus.... *per celebrandam Synodum, te auctore*, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicae fiat ». γ) Expresse a Papa consensum ad convocationem petit: « hoc ipsum nobis *propriis litteris tua Sanctitas manifestet*, quatenus in omnem Orientem, et in ipsam Thraciam, et Illyricum sacrae nostrae litterae dirigantur » (n. 32). δ) Eodem sensu scribit eidem et Pulcheria: « Et propterea *tua Reverentia.... significare dignetur;* ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciae atque Illyrici, sicut.... Imperatori meo coniugi placuit, in unam civitatem.... valeant convenire: et illic facto Concilio, et de catholica confessione, et de his Episcopis.... sicut fides et christiana pietas exigit, *te auctore* decernant » (nr. 33 β). ε) Episcopi Moesiae secundae re vera concilium hoc a Papa convocatum fuisse expresse testantur, dicendo: « in Chalcedonensium civitate multis sanctis episcopis convenientibus *per iussionem Leonis, Romani pontificis*, qui vere caput est episcoporum » (nr. 75). ζ) Immo legati Papae coram toto concilio, et nemine contradicente, affirmarunt absque consensu Papae concilium universale celebrari non posse, haec de Dioscoro dicentes: « Iudicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam iudicandi non haberet, praesumpsit, *et synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod numquam licuit, numquam factum est* » (nr. 43).

Fatemur tamen hisce testimoniis, etsi fortia videantur, difficultatem a Funck propositam nondum solutam esse. Etenim vel ipse Marcianus in litteris suis, concilii convocatoriis, nullibi ullam allusionem ad Papae desiderium facit, vel ad delegationem ab ipso sibi devolutam provocat, sed propria auctoritate concilium convocat his verbis: « Quia igitur dubitationes circa orthodoxam fidem motae sunt, sicut indicant et litterae sanctissimi.... Leonis, *placuit nobis proprie sanctum concilium fieri in Nicaea Bithyniae civitate* » [1]. Quomodo ergo potuit dicere Leoni: « quatenus.... *per celebrandam Synodum, te auctore*, maxima pax circa Episcopos.... fiat? ». Verum quidem, illud incisum: « te

[1] Labbe, VI, 551.

auctore », posse referri ad verba quae illud sequuntur, et tunc sensus esset talis: « te auctore maxima pax.... fiat ». Sed aequa ratione etiam ad verba praecedentia adiungi potest. Nec ex textu graeco sapientiores reddimur. At supponamus incisum hoc a Marciano reapse ad verba illud subsequentia referri, quid respondebimus ad alia testimonia, speciatim vero ad illud episcoporum Moesiae?

Putamus ergo coaevos concilii nostri duplicem conciliorum distinxisse convocationem, sicut et duplicem in iisdem optime secernebant praesidentiam: « Quibus tu quidem sicut membris caput, praeeras.... Imperatores vero fideles ad ornandum decentissime praesidebant » (nr. 66 ²). Hinc altera convocatio erat, quae ab imperatoribus procedebat, altera, quae a Papa fiebat. Illa, quam cum Forget [1] materialem appellamus, in eo consistebat, ut litteris imperialibus episcopi in certum locum congregarentur. Tali convocatione imperatores neque intendebant episcopis auctoritatem synodum celebrandi conferre, sed eius adunationem extrinsece promovebant. Contra talem convocationem, ob temporum adiuncta Papae non reluctabant, immo quandoque ipsi ab imperatoribus, ut hoc facerent, petierunt. Altera autem quam formalem dicimus, est adunatio episcoporum in unum corpus iure instructum, ut et de rebus fidei iudicare, et leges disciplinares pro universa ecclesia condere possit. Talis iuridica convocatio, ut per se patet, a nullo alio nisi a Papa fieri potest. Hinc si Papa episcopis ab imperatore congregatis auctoritate sua talem potestatem contulerit atque eorum adunationem in concilium universale approbaverit, non potest negari, ipsum certo sensu et auctorem huiusmodi concilii esse et illud convocasse. Quapropter testimonia quae adduximus, nullimode valore suo destituuntur, etiamsi imperatores propria auctoritate materialiter concilia convocasse dicantur. Propterea et Marcianus optime dicere poterat concilium celebrandum fore Papa auctore, sicut et episcopi Moesiae illud celebratum fuisse per iussionem Leonis. Similiter dic de aliis testimoniis.

---

[1] Conciles, o. c. col. 652.

b) **Pontifici Romano competit praesidentia in Synodis.** Hoc agnoscit: α) Ipse imperator: « Superest, ut si placuerit tuae Beatudini in has partes advenire, *et Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur* » (1). β) Papa ipse sibi hoc ius adscribit in epistola ad concilium: « Tamen in his fratribus.... qui ab apostolica Sede directi sunt, *me Synodo vestra fraternitas aestimet praesidere* » (nr. 26 α). γ) Synodus quoque hoc agnoscit: « Quibus tu quidem, *sicut membris caput, praeeras* in his, qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens » (nr. 66 δ). δ) Haec tamen praesidentia non erat meri honoris, sed verae iurisdictionis. Ita in actione tertia Paschasinus dicit coram toto concilio: « nostram parvitatem huic sancto concilio *pro se praesidere praecepit. Ideoque necessarium est, haec quae in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari* » (n. 50). ε) Et concilium non modo non contradicit, sed eos rogat: « Petimus igitur vestram sanctitatem, *qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi papae Leonis,* promulgare in eum, [Dioscorum] et regulis insitam contra eum proferre sententiam. *Omnes, et tota universalis synodus concors efficitur vestrae sanctitatis sententiae* » (nr. 52 initio). ζ) Papa idem affirmat in epistola ad Anatolium: « .... temetipsum, *quod eis parere nolueris,* dum illicita moliris accusas » (n. 71 η). Propterea legati toto concilii tempore primo ponuntur loco cum adiectione: « *tenentes locum sanctissimi et beatissimi archiepiscopi apostolicae sedis magnae et senioris Romae Leonis* », ut passim in actis concilii legi potest.

c) **Papa concilio, quid agendum, praescribit.** Ita in epistola: α) Ad Pulcheriam: « datis ad venerabilem Synodum *congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret, quam formam servare in hac diiudicatione deberet:* ne ulla temeritate aut fidei regulis, aut canonum statutis.... obviaret » (nr. 27). β) Scribendo ad ipsam synodum: « Unde, fratres carissimi, *reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam,* vana errantium infidelitas conquiescat.... cum secundum evangelicas auctoritates.... apo-

(1) Ep. 76. Labbe, VI, 99.

stolicam doctrinam *plenissime et lucidissime per litteras.... fuerit declaratum, quae sit.... pia et sincera confessio* » (nr. 26 β). γ) Dioscorum a concilio excludi debere, ita legati fundaverunt: « Beatissimi atque apostolici *viri papae.... praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est eius apostolatus,* ut Dioscorus non sedeat in concilio ». — Et absque ullo ulteriore processu canonico, Dioscorus inter accusatos secedere debuit!!!

Taliter papam agere posse agnoscunt: α) Marcianus:.... « tua Sanctitas *manifestet, quatenus.... omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire,* et quae Christianorum religioni atque catholicae fidei prosint, *sicut Sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definivit,* sua dispositione declarent » (n. 32). β) Flavianus in sua appellatione: « Oro itaque vestram sanctitatem.... *dare etiam formam,* quam Deus vestrae menti inspirabit, ut tam occidentali quam etiam orientali in unum facta patrum synodo, similis ubique praedicetur fides » (n. 35 ε). γ) Valentinianus:... « ut praedictus Sacerdos [Papa] congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus.... *sententiam ferat, quam fides et ratio verae Divinitatis expostulat* » (nr. 38 γ). δ) Concilium ipsum in actione secunda; quando Cecropius dixerat: « Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant, *et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanae urbis, et sequimur eum,* et epistolae omnes subscripsimus » (nr. 47). Item de canone 28 quem contra Papae voluntatem conditum episcopi probe sciebant, ad eius benevolentiam provocant: « Confirmavimus.... *confidentes,* quia lucente apud vos apostolico radio.... consuevistis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos » (nr. 66 γ).

d) **Pontifex Romanus contra conciliorum sententias appellationes accipere potest et ipse sententiam ferre.** De hac re alibi satis diximus, commemoramus autem et hic, quia tale ius certe auctoritatem conciliis superiorem arguit.

e) **Papa potest conciliorum decisiones vel ex integro, vel ex parte tantum recipere vel reiicere.** Papa reiecit integrum latrocinium ephesinum, reiecit et can. 28 chalcedonensem. Et quid ad hoc nostra dicunt documenta? Agnoscuntne Papam talem habere potestatem? Quoad latro-

cinium ephesinum haec in nostra synodo legimus: α) Legati Papae per Paschasinum dixerunt: « *Si ergo et a beatissimo et apostolico Romanae urbis episcopo omnia quae ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret, quia et sanctissimus episcopus Antiochenae civitatis extra haec est* ». Ad quae verba β) Anatolius: « *Hinc destructionem ea quae in Epheso super gesta sunt, habuerunt,* .... Igitur definimus, nihil horum valere, quae in illa.... sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum.... *quoniam et sanctissimus Leo.... in communionem eum recipiens, praeesse eum Antiochensium iudicavit ecclesiae* » (nr. 58 α β). Et tota synodus acquiescit.

Quando canon. 28 in ultima sessione perlectus erat, legati suam contradictionem actis inseri exigebant et Papae rem relaturos se dixerunt, « *ut ipse aut de suae sedis iniuria aut de canonum eversione possit ferre sententiam* » (nr. 62). Agitur de concilii universalis auctoritate! Et quid ad hoc synodus, quid alii respondent? α) Synodus Papam humiliter rogat, ut canonem hunc non obstante legatorum contradictione acceptet: *Rogamus igitur et tuis decretis nostrum honora iudicium.... omnem vobis gestorum vim insinuavimus* ad comprobationem nostrae sinceritatis, et ad eorum quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam » (n. 66 κ, λ). β) Imperator ipse: « *dignetur Sanctitas tua etiam huic parti assensum praebere....* ut omnia vobis significarentur decrevimus, *rogamusque ut quae a sancta Synodo constituta sunt, etiam tua in Deum pietas in perpetuum observari praecipiat* » (n. 67 β). γ) Anatolius: « eiusmodi etiam decretum *ad vestram sanctitatem sancta Synodus retulit,* et nos *ut approbationem a vobis confirmationemque consequamur; obsecramusque, ut hoc etiam per vos, o sanctissimi, efficiatur* » (nr. 68 δ).

Quid autem sequatur, si Papa non approbet concilii decisiones, ex verbis Marciani colligere possumus: « Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, *ambiguitatem multam, iniecit, utrum tua Beatitudo, quae in sancta synodo decreta sunt, confirmaverit* » (nr. 72 α). Tanta ergo erat auctoritas Papae in Oriente! Hinc imperator ulterius scribens ait: « Quam ob rem tua veneranda dignitas *decretum celerrime*

emittat quo confirmare ipsam Chalcedonensem Synodum manifestissime ostendat, ut ii qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem de iudicio tuae Sanctitatis » (Ib. β).

f) **Papa solus, absque concilio, causas fidei et ecclesiae dirimere potest.** Si Papa ius et auctoritatem habet de conciliorum, etiam universalium, decisionibus iudicandi, sequitur eum se solo id decidere posse, quod concilia cum ipso praestare solebant. Neque hoc orientales illius temporis latebat. Habemus pretiosum testimonium α) a Flaviano: « Res namque *solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquilitatem et pacem cuncta statim translaturum est.* Sic enim *et quae insurrexit haeresis,* et ob eam excitatus tumultus *facile cessabit.... prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse Synodus* » (nr. 29 δ). β) Huc reduci possunt et illa, quae superius sub e) iam diximus (1).

Iamvero omnia haec eandem Pontificis Romani ad concilia relationem arguunt, quam catholica hodie docet ecclesia. Si autem aliquis hoc negare velit, debet necessario illa testimonia vel ut indignam adulationem, vel ut irrisorium iocum verborum acceptare. Atqui neutrum horum viris illis, a quibus prolata sunt, tam dignitate, quam rectae fidei professione praeclaris, sine iniuria adscribi potest. Restat ergo dicendum, illos re vera eandem auctoritatem relate ad concilia Pontifici Romano et agnovisse et professos esse, quam catholica illi competere docet ecclesia.

§ 4. — Papa est supremus fidei magister isque infallibilis.

Hoc demonstrabimus ex eo quod: *a)* Pontifex Romanus sibi supremum magisterium in fide ipse vindicat; *b)* quod tale magisterium alii eidem agnoscunt; *c)* quod eius doctrina

(1) Haec quae sub littera f) adduximus, ad sequentem § 4, referri possunt; quum tamen hic Synodus, quae futura divulgabatur, post Papae decisionem supervacanea declaretur, pro superioritate Papae super concilia quoque optime militant.

infallibilis praedicatur. Iterum singula testimoniis respectivis firmabimus.

A) Pontifex Romanus magisterium sibi in fide supremum vindicat. Hoc ipse Papa Leo multis modis ostendit tam ad personas privatas, quam publicas, sicut et ad ipsa concilia scribendo. Etenim:

a) **Ipse sibi fidei explicationem authenticam adscribit.** Ita: α) Ad Theodosium de Eutyche scribens: « Quid autem *catholica Ecclesia universaliter de sacramento dominicae incarnationis credat et doceat,* ad fratrem et coepiscopum meum Flavianum *continent scripta, quae misi* » (nr. 5 β). β) Ad synodum ephesinam rationem, cur et ipse invitatus fuerit, his verbis explicat: « Religiosa clementissimi Principis fides.... hanc reverentiam *divinis* detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum *auctoritatem apostolicae Sedis adhiberet: tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari,* quid in eius confessione laudatum sit » (nr. 8). γ) In litteris ad Flavianum dicit:... « quid in nostro corde esset, *patefecimus: ne de his quae secundum doctrinam catholicam didicimus et docemus,* aliquid inter nos videri possit ambiguum » (nr. 11). δ) Denuo ad Theodosium de latrocinii ephesini aberratione: « si scripta, quae vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, [legati!], Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimae fidei, quam divinitus inspiratam et accepimus et tenemus, *omnium concertationum strepitus quievisset,* ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi aemulatio reperiret » (nr. 14 α).

b) **Ipse sibi adscribit munus alios in fide confirmandi.** Ita α) Ad Anastasium Thessalonicensem ait: « *protestamur pariter ac monemus,* ne.... *in receptionem nefarii dogmatis consensum tui cordis immisceas* » (nr. 16 α). β) Ad Constantinopolitanos: « *consolandos adhortandosque vos esse credidimus nostris epistolis, ut pro catholicae fidei defensione perfidorum nequitiae resistatis* ». Et denuo: « Cui impietati ne in aliquo praeberetis assensum, *iam.... cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirma-*

tionem, quam expetistis, ultro praebuimus » (nr. 17 et 18). γ) Speciatim scribendo ad presbyteros Martinum et Faustum : « Quia licet plene, quae semper fuisset atque esset Catholicorum sententia scripserimus, *tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes*, non parum exhortationis addidimus » (n. 19).

c) **Magisterio suo obediendum esse asseverat.** Ita: α) in epistola ad Theodosium : « tantam nos accepimus fiduciam a sanctissimo Petro et Principe apostolorum, *ut potestatem habeamus et veritatis vindicandae pro nostra pace, et nemini ipsam liceat, cum munita adeo sit, concutere* » (nr. 13). β) Ad eundem Theodosium : « *Date defendendae fidei libertatem, quam salva Clementiae vestrae reverentia, nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre* » (n. 14 γ). γ) Ad Anastasium episcopum : « *Nobis* enim ab Evangelio .... nullatenus recedentibus *definitum est, in nostrae communionis numero non futuros eos, qui conantur antiqua catholicae fidei fundamenta convellere* » (n. 16 β). δ) Anatolio per imperatorem Theodosium iniungit, ut : « *si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat aut asserat, quam Catholicorum et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat* » (nr. 20 γ). ε) Ad Pulcheriam ita scribit : « mea et sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia et una confessio est. *Quam si quis existimaverit non esse sequendam, ipse se a compage catholicae unitatis abscidit* » (nr. 21). ζ) Denique integrae synodo idem inculcat : « Unde, fratres carissimi, *reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam*, vana errantium infidelitas conquiescat, *cum .... plenissime et lucidissime per litteras*, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, *fuerit declaratum*, quae sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio » (nr. 26 β).

Talis autem Pontificis Romani semet gerendi modus, si ista eius erant inventio, non vero totius christianitatis persuasio, certe culmen ridiculi attigit et potius eius auctoritatem destruere, quam confirmare poterat. Videamus ergo, quid de istis coaevi et synodus ipsa censuerint.

B) Magisterium Papae supremum universaliter agnitum. Haec affirmatio in duplicis generis fundatur testimoniis. Alia procedunt a personis singillatim sumptis, alia in synodo, vel a synodo ut tali proferuntur.

a) **Testimonia a personis singillatim sumptis prolata:** α) Vel ipse haereticus Eutyches hoc professus est: « Ad vos igitur *religionis defensores* et huiusmodi factiones execrantes *confugio.... Et obsecro.... quae visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam* » (nr. 28 β). β) Flavianus: « *confirmare* vero et piissimi Christumque amantis nostri Imperatoris fidem. Res namque *solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio*, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est » (nr. 29 γ, δ). γ) Imperator Marcianus ita scribit: « tua Sanctitas manifestet, quatenus.... omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, *et quae Christianorum religioni atque catholicae fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definivit*, sua dispositione declarent » (n. 32). δ) Pulcheria de Anatolio Papae scribens ait: « Anatolius.... *tuarum litterarum apostolicam confessionem complectitur.... et epistolae namque similiter catholicae fidei*, quam ad sanctae memoriae Flavianum Episcopum tua Beatitudo direxit, *sine aliqua dilatione subscripsit* » (33 α). ε) Flavianus appellando Papam, orat eum: « ut progrediens ad orientem *auxilium ferret periclitanti piae sanctorum patrum fidei* »; atque ut daret: « formam, quam Deus vestrae menti inspirabit, ut.... similis ubique praedicetur fides » (nr. 35 α, ε). ζ) Eusebius Dorylaeensis: « *causa autem rei, quod sensum rectum tenetis et inconcussam servatis erga dominum nostrum Iesum Christum fidem* » (nr. 36 β). η) Petrus Chrysologus ad Eutychem ita scribit: « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, *ut his quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim* pro studio pacis et fidei *extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus* (nr. 37 β). θ) Imperator Valentinianus ad Theodosium scribit ita: « de fide.... quam nos a nostris maio-

ribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere.... *quatenus beatissimus Romanae civitatis Episcopus.... locum habeat ac facultatem de fide* et Sacerdotibus *iudicare*.... Hac enim gratia secundum solemnitatem Conciliorum et Constantinopolitanus Episcopus *eum per libellos appellavit propter contentionem quae orta est de fide*.... annuere non negavi, quatenus.... ingererem, *ut praedictus Sacerdos*.... a principio omnem causam quae vertitur, *sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides et ratio verae Divinitatis expostulat* » (nr. 38 α, β, γ). κ) Imperator Marcianus Leoni scribens de synodo testatur haec: « Ergo omnia *secundum vota Sanctitatis tuae, quae fidei consonant definita sunt.... et iuxta litteras Sanctitatis tuae omnes assenserunt expositioni*, sicut veritas postulavit » (nr. 67 α).

b) In synodo et a synodo idem agnoscitur. α) Quum iudices novam formulam fidei fieri exigerent, dixit Cecropius: « Emerserunt quae ad Eutychem pertinebant, *et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romanae urbis, et sequimur eum, et epistolae omnes subscripsimus* ». Ad quae addunt acta: « Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus: sufficiunt quae exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri » (n. 47). β) Legati contra Dioscorum sententiam ferunt et ex hac ratione: « Super haec vero neque epistolam legi permisit beatissimi Leonis.... *qua non lecta, scandalum et laesionem sanctae Dei ecclesiae per totum orbem terrae pertulerunt* » (nr. 52). — Et tota synodus approbat, immo in epistola ad imperatorem denuo hanc relevat causam damnationis in Dioscorum latae (nr. 53). γ) Sabbas Palti in Syria haec in synodo de magisterio Papae dicit: « *consona quoque... Leo per suam epistolam docuit, et universus orbis terrarum sic institutus est et edoctus;* et nos eamdem retinemus et docemus » (nr. 55 γ). δ) Ipsa synodus hoc idem, Papae scribens, clare profitetur: « Quid enim fide sublimius ad laetandum?.... *Quam veluti auro textam seriem ex praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, rocis beati Petri omnibus constitutus interpres et eius fidei beatificationem super omnes adducens* » (nr. 66 α).

Omnia haec testimonia, tam a diversae conditionis hominibus, quam in concilio et a concilio prolata, satis probant, magisterium supremum Papae in universa ecclesia et notum et agnitum fuisse. Hoc autem magisterium et tota eius auctoritas in successione Pontificum Romanorum in Petri cathedra, ut alibi iam demonstravimus, fundabatur. Hinc Papa Leo non usurpatione, sed vero primatu iuris usus est, quum fidei expositionem sibi competere affirmavit.

Obiectio 1. Papae magisterium non agnoverunt episcopi aegyptiaci, qui epistolae eiusdem subscribere et Dioscorum damnare recusarunt.

Respondeo: α) Verum est, hos paucos episcopos subscriptioni epistolae et Dioscori damnationi restitisse, sed praecise propterea multas reprobationes immo improperia multa a concilio audire debuerunt. β) At non hac ratione restiterunt, quod ob fidei motiva subscribere noluissent, sed quia occisionem in Aegypto timuerunt. Etenim impetuosus ille Theophilus et violentus Dioscorus tantum episcopis suis terrorem incusserunt, ut isti nihil absque sui patriarchae permissu facere auderent. Hinc in concilio vociferabant: « Date archiepiscopum, et si contradixerimus, punite nos » (1). γ) Quanta fuerit auctoritas Papae apud episcopos aegyptiacos, Dioscori demonstrat tentamen, quo Papam excommunicatione plectere nisus fuerit, nam nonnisi fraude et violentia perpaucos inducere potuit episcopos, qui « lacrymantes atque gementes, nefandae illi chartae subscripserunt », ut Theodorus, diaconus alexandrinus testatur (2). δ) Dato, et non concesso, quod illi episcopi re vera inobedientes permanserint, non sequitur eos negasse auctoritatem magisterii Papae, nam inobedientia non includit necessario negationem auctoritatis in eo qui imperat vel docet.

Obiectio 2. Sed alii quoque episcopi Leonis doctrinae restiterunt ita vehementer, ut legati dicere coacti fuerint: « Si non consentiunt epistolae apostolici et beatissimi viri Papae Leonis, iubete nobis rescripta dari ut revertamur, et ibi synodus celebretur » (3).

(1) Labbe, VII, 54. (2) Labbe, VI, 1010. (3) Actio V. Labbe, VII, 102.

Respondeo: α) Hic non agitur de doctrina Leonis. Haec iam ab omnibus agnita et subscripta fuit, (cf. nr. 47) sed de nova formula fidei, quam imperator ad praecavendas disceptationes futuras ab episcopis componi exigebat. Tali novae formulationi tum episcopi, tum legati Papae resistebant. (cfr. actionem quartam). Sed quia Anatolius re vera novam formulam composuit, eamque concilio praesentavit, quaeque nimis ambigua fuisse videtur, legati eam respuerunt et directam haereseos damnationem verbis Leonis fieri exigebant. β) Si ergo episcopi illi resistebant, non reiiciebant doctrinam Leonis, sed definitionem benigniorem erga lapsos amplecti volebant, quod saepius in conciliis fieri novimus. γ) Reapse autem post diuturniorem disceptationem et dilucidationem partes legatorum amplexi sunt et ita etiam in hac quaestione victoriae palmam Pontifici Romano detulerunt.

C) **Doctrina Pontificis Romani infallibilis habetur.** Non ad persuasionem Papae, qui saepius hoc affirmaverat, ut ex superius, sub puncto A. c) adductis, videri potest, sed ad aliorum testimonia dumtaxat provocamus. Haec testimonia iterum distingui possunt in talia, quae a singularibus hominibus prolata sunt, et talia, quae a pluribus simul, vel etiam ab integro concilio exprimebantur.

a) **Testimonia quaedam singillatim prolata:** α) Petrus Chrysologus ad Eutychem: « hortamur te.... *ut his quae a beatissimo Papa.... scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem* » (nr. 37). β) Theodoretus Cyrensis idem hoc modo profitetur: « Habet enim sanctissima illa sedes omnium per Orbem Ecclesiarum ducatum et principatum multis quidem de causis, *praecipue vero, quod haeretica labe immunis permansit; et nullus qui contraria sentit veritati, in illa numquam* [recte: unquam!] *sedit*, sed Apostolicam gratiam integram et immaculatam servavit » (nr. 41). γ) Paschasinus orthodoxiam Flaviani coram concilio ita demonstrat: « Sancte et integre et catholice exposuit beatae recordationis Flavianus: *siquidem eius fidei expositio cum beatissimi atque apostolici viri papae Romani epistola concordat* » (nr. 45). δ) Florentius Sar-

dicensis novam fidei formulam fieri quidem posse admisit, adiunxit tamen: « *quamvis in nostra persona, qui epistolae sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigeamus correctione* » (nr. 47). ε) Paschasinus concordantiam doctrinae Leonis cum patribus ita exprimit: « *Manifestum est, nec poterit dubitari*, unam fidem beatissimi papae sedis apostolicae rectoris Leonis cum trecentorum decem et octo apud Nicaeam patrum concordare » (n. 55).

b) Testimonia a pluribus simul data: α) Episcopi Galliae ita ad Leonem scribunt occasione haereseos eutychianae:.... « Apostolatus vestri scripta *ita ut symbolum fidei*, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis *adscribit*, et tenaci, quo *ad confundendos haereticorum errores* paratior sit, memoriae commendavit.... Nonnulli sollicitiores facti, Beatitudinis vestrae admonitione percepta modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, *qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicae Sedis auctoritate, eloquantur*, et asserit unusquisque quod credit.... Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis, ut constanter teneat, quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, *agnita veritate*, discedat.... magisque sequatur et credat, *quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de sacramento Incarnationis suae docet* » (nr. 34). Testimonium vere magnificum! β) Simili fere modo epistola synodica mediolanensis: « Nec mirum, quod Dominus noster Iesus Christus catholicae fidei, quam tenemus, maiestatis suae gratiam custodiamque praestiterit: quando *vos idoneos cultus sui assertores* in Apostoli sui Sede Praesulem collocavit, *qui et recte sentire de Incarnationis dominicae sacramento, et eadem potestis rectius custodire* » (nr. 65).

c) Testimonia ab integro concilio prolata: α) Expositione fidei a Leone facta atque in concilio perlecta episcopi clamabant: « Haec patrum fides, haec apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. *Petrus per Leonem ita locutus est* » (nr. 49). β) In relatione a concilio ad Pulcheriam data, sequentia dicuntur: « ipsique naves suas in cursu repetiere rectores,

Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; quia sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore » (nr. 54). γ) Leonis doctrina a concilio ut orthodoxiae regula habetur. Hinc ad aegyptiacos episcopi clamabant: « Subscribant epistolae Leonis. *Qui non ei subscribit, haereticus est* » (nr. 56). δ) In allocutione, a synodo ad Marcianum habita, haec leguntur: « Unde nobis *impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus providit* et Romanae ecclesiae papam ad victoriam praeparavit, *doctrinis eum per omnia veritatis accingens*, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat » (nr. 64). ε) In epistola synodica ad Papam dicunt episcopi: « Quid enim fide sublimius ad laetandum?.... Quam veluti auro textam seriem *ex praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres*.... Unde et nos, quippe *ut inchoatore bonorum te ad utilitatem utentes*, Ecclesiae filiis *haereditatem sortemque veritatis ostendimus*.... et eramus in communi corona gaudii.... deliciis spiritualibus epulantes, *quas per tuas litteras Christus praeparaverat invitatis* et supercaelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus » (nr. 66 α, β, γ). ζ) Ipsi denique Papae, ut synodus ait: « *vineae custodia a Salvatore commissa est* » (nr. 66 ε).

Omnia ista testimonia simul sumpta, quaedam etiam separatim, satis infallibilitatem doctrinae, a Pontifice Romano fidelibus ad credendum propositae, manifestant; neque quis hoc negare poterit, nisi more rabularum testimoniorum horum verba pervertere et detorquere voluerit. Enimvero hoc veritatis osores, non amatores facere solent.

Concedimus quidem ipsam vocem « infallibilis » in testimoniis nostris non reperiri. Sed quid hoc refert, si aliis vocibus hoc idem indubitanter exprimatur? Non verba, sed sensus verborum ponderandus est. Iamvero, qui « impenetrabilis in omni errore propugnator » et « per omnia doctrinis veritatis a Deo praecinctus » dicitur; per quem Deus, Christus, Petrus loqui affirmantur; qui « ex praecepto legislatoris fidei seriem auro textam servat atque vocis beati Petri

omnibus constitutus est interpres »; « cui vineae custodia a Salvatore commissa est », certe in fide exponenda errare non potest — ac proinde est infallibilis. Atqui haec omnia in documentis nostris de Pontifice Romano enuntiantur. Ergo coaevi et concilium chalcedonense magisterium infallibile Papae re vera agnoscebant.

* * *

Respiciendo omnia, quae hucusque pro primatu Pontificis Romani ex documentis concilium chalcedonense concernentibus adduximus, fateri cogimur quaedam testimonia decursu demonstrationis saepius a nobis usurpata fuisse, at nemo nobis hoc vitio adscribat, non enim nostra est culpa, quod non perpauca testimonia illa tantam in se perfectionem atque vim contineant, ut pluribus simul argumentis inservire queant. Omnibus tandem simul consideratis, certi reddimur, nos non contra veritatem aut logicae artis praecepta peccare, si illis testimoniis innixi, omnia ad sequentem brevem reducamus formam:

« *Cathedrae illius,*

A) *ad quam omnimodae in Ecclesia personae appellant, publicae privataeque;*

B) *quae ab iisdem rogatur, ut definitiones de fide et leges de moribus et iudicia de personis dignetur modo cassare, modo sancire, modo directe instituere;*

C) *quae ipsa quoque sponte, summa auctoritate post quam non datur appellatio, personas tum aliis subditas tum supremas (etiam patriarchas) directe iudicat et iustificat damnatve (etiam excommunicatione), aut iubet restitui dimoverive;*

D) *quae scit et confidit se posse, e longinquo per litteras legatosque, modo iniungere absolute formulas fidei etiam pro conciliis oecumenicis, modo praecipere res maxime iniucundas recipientibus;*

E) *quae revera obedientiam publicam a praepotentibus, de praeservando suo iure attentissimis, obtinet efficaciter;*

F) *quae demum illa omnia exercet simplicitate magna et sine aliorum protestatione, — α) non propter materialem vim nec propter personale sedentis meritum, — β) sed titulo indubitato, propter ius ipsius Sedis et declaratam in ea Petri successionem auctoritatemque, —*

— illius Cathedrae Pontifex manifesto ab universali sui temporis Ecclesia agnoscitur, ut qui cum Petri successione receperit illum iurisdictionis primatum, quem Catholica hodierna vindicat pro Romano Pontifice;

Atqui praeparatio et historia Concilii Chalcedonensis talem manifestant Cathedrae Romanae Pontificem. Ergo » [1].

---

[1] Herbigny, o. c. p. 137.

CANON 28. CHALCEDONENSIS.

THEOLOGIANS

CANON 28 CONCILII CHALCEDONENSIS.

Canon 28 chalcedonensis non modo tempore huius concilii dissensionis inter Romam et Constantinopolim materiam subministravit, sed et temporibus subsequentibus saepius idem causavit, immo sub Acacio schismati causam praebuit. Post Photium autem conclusiones ex eo deducebantur latissimae, secundum quas primatus Romae non divinae esset originis, sed ecclesiasticae tantum et quidem meri honoris atque a gradu civitatum civilium dependeret, immo etiam a civitate in civitatem transferri posset. Tempore adhuc recentissimo Arabadioglou, episcopus titularis graeco-orthodoxus Scopelensis de unione ecclesiarum christianarum agens, maximum unionis obstaculum in eo videt, quod sedes Romana canonis huius limites supergressa, iura sibi vindicat, quae canoni huic contradicunt. En eius verba: « Quousque Sancta Sedes primatui suo non illum sensum, quem ipsi duo concilia oecumenica – II et IV – donarunt, (primus inter pares, primatus honoris), sed illum potestatis realis in universam christianitatem tribuere persistit, omnis appropinquatio ecclesiae romanae ad quamcumque aliam ecclesiam christianam impossibilis redditur » [1].

Nihil ergo mirum, si primatus romani adversarii constanter ad hunc provocant canonem et in eo munimentum

[1] « Aussi longtemps que le St. Siège persiste à donner à sa primauté non pas le sens que lui ont donné deux - II et IV - conciles oecuméniques (primus inter pares, primauté honorifique), mais celui d'un pouvoir réel exercé sur toute la chrétienté, tout rapprochement de l'Église romaine avec une autre Église chrétienne devient une impossibilité » (o. c. p. 54).

omnium aggressionum contra eundem primatum invenisse putant inexpugnabile. Quapropter, ne argumentatio nostra pro primatu Pontificis Romani ex hoc concilio difficultates evitare videatur, adversariorum affirmationem fundamento carere demonstrabimus, considerando: α) ipsam canonis huius originem, et β) eius relationem ad primatum romanum.

§ 1. — Canonis 28 chalcedonensis origo.

Ut iam in priore dissertationis huius parte diximus, Byzantio in sedem imperialem evecto, episcopi constantinopolitani aegre metropolitano heracleensi subiiciebantur. In concilio nicaeno ne verbum quidem de constantinopolitana fit ecclesia, multo minus quidquam de eiusdem eminentia. In concilio autem II universali canone 2, quinque magnae provinciae ecclesiasticae enumerantur: Aegyptus cum sede alexandrina, Oriens cum antiochena, Asia cum ephesina, Pontus cum caesariensi in Cappadocia et Thracia, cuius metropolis erat Heraclea. Haec ultima adhuc auctoritate byzantinam praecedebat (1). Et haec erat ratio, cur canon 3, ibidem conditus sit, qui ita sonat: « Verumtamen Constantinopolitanus episcopus habeat honoris primatum post Romanum episcopum; propterea quod urbs ipsa sit iunior Roma ». (Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεος ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ το εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην). Concilium istud imitari forsan voluit canonem 7 nicaenum, iuxta quem hierosolymitano episcopo primatus honoris ante metropolitam palaestinensem tribuebatur. Hoc autem factum esse videtur propterea, quod ecclesia illa in illo loco erat, ubi quondam S. Iacobus episcopus fuit. Constantinopolis tali titulo carebat, hinc ratio huius facti adducebatur: « propterea quod urbs ipsa sit iunior Roma ». At Constantinopolitani non parvo gressu contentabantur, sed omnes exarchas et patriarchas transcendentes, statim secundum locum post Pontificem Romanum sibi adscripserunt.

(1) Vailhé, o. c. 1322.

Iamvero canone hoc nullam iurisdictionem superiorem Constantinopolitano collatam fuisse patet ex eo, quod: *a)* Ipse canon de solo honoris primatu (τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς) mentionem facit, de iurisdictione autem, de qua in praecedenti canone sermo erat, prorsus silet. *b)* Quod etiam in aliis casibus, ubi honoris primatus conferebatur, nulla iurisdictio involvebatur. Ita: α) in can. 7, nicaeno: « Quoniam obtinuit consuetudo et antiqua traditio, ut qui est in Aelia episcopus honoretur : (ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι) habeat honoris consequentiam, metropoli propria dignitate servata ». (ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς). (1) β) Nicaena ecclesia etiam honorem metropolitanae habuit absque iurisdictione tamen, et quum sibi hanc Anastasius usurpare voluerit, res ad concilium chalcedonense delata est, et causa statim soluta hoc modo:... « manifestum est, quoniam religiosissimo episcopo Nicomediae ordinationes competunt et quia leges.... nomine metropolis solummodo honoraverunt Nicaenum, et praeponitur reliquis episcopis provinciae honore solummodo ». (προτιμᾶται δὲ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῇ τιμῇ μόνῃ) (2). Et rursus: « Auctoritatem quidem (τὴν μὲν αὐθεντίαν) metropolitani.... Nicomediensis habebit episcopus, Nicaeno habente honorem metropolitani tantummodo, (τοῦ Νικαίας τὴν τιμὴν μόνην τοῦ μητροπολίτου ἔχοντος) subiacente autem ad exemplum aliorum episcoporum provinciae Nicomediensi » (3). γ) In concilio chalcedonensi hoc idem privilegium Marcianus chalcedonensi civitati tribuit: « Chalcedonensium civitatem.... metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantum hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium civitati propria dignitate ». (....τὴν χαλκεδονέων πόλιν.... μητροπόλεως ἔχειν πρεσβεῖα ἐθεσπίσαμεν, ὀνόματι μόνῳ ταύτην τιμήσαντες, σωζωμένου δηλαδὴ τῇ Νικομηδέων μητροπόλει τοῦ ἰδίου ἀξιώματος) (4). *c)* Quod ipsi Constantinopolitani hoc idem senserunt, nam statim post illam decisionem de nicaena et nicomediensi ecclesia, Aetius iudices ita affatus est: « Suggerimus vestrae magnificentiae, rogantes ut nullum praeiudicium Constantinopolitanae sanctissimae sedi fiat

(1) Labbe, II, 671. (2) Labbe, VII, 311. (3) Labbe, VII, 314.
(4) Labbe, VII, 178.

ex his quae nunc proferuntur a sanctissimis archiepiscopis ». Ad quae verba hanc retulerunt responsionem: « Sancta synodus clamavit: Canones teneant. Canonibus satisfiat [1] ». — Consentire ergo non possum clarissimo Hefele affirmanti, hoc canone cum primatus honore simul et iurisdictionem in thracicam dioecesim Constantinopolitano datam fuisse [2].

Quamquam ergo canon iste merum honorem praecedentiae significabat, tamen neque Roma, neque alii patriarchae illum agnoverunt. Hinc in latrocinio ephesino Flavianus recte quinto ponebatur loco, quamobrem orientales episcopi in concilio chalcedonensi conquerebantur: « Flavianus in proprio loco quare non sedit? Constantinopolitanum episcopum quare quintum posuerunt? » [3]. Et quum Paschasinus dixisset: « Ecce nos, Deo volente, dominum Anatolium primum habemus; hi quintum posuerunt beatum Flavianum », Diogenes Cyzici certe ad canonem hunc alludendo respondit: « Quoniam vos regulas scitis » [4]. Haec tamen Paschasini enuntiatio nequaquam approbationem canonis huius continebat, nam postea vehementissime eidem renovato restitit, ut suo loco videbimus, sed simpliciter factum adduxit, nam Dioscurus et Iuvenalis ut accusati in concilium intraverunt: de Domno autem et Maximo antiocheno adhuc lis erat, uter eorum sedis illius verus esset episcopus, ac proinde ambo a praecedentia in concilio abstinere debuerunt. Casu ergo singulari Anatolius statim post legatos apostolicae sedis secundum tenebat locum.

At, quae iure obtineri non poterant, praxi introducebantur. In sic dicta synodo ἐνδημοῦσα episcopi constantinopolitani semper magis auctoritatem et iurisdictionis exercitium in episcopos et dioeceses sibi non subiectas protendebant, ita ut iam S. Ioannes Chrysostomus non modo Thraciam, sed et Asiam et Pontum administraret, immo quandoque etiam in aliis regionibus episcopos ordinaret [5]. Nec mirum! Multi enim episcopi a constantinopolitano dependebant, alii eius

---

[1] Labbe, VII, 311 sq. [2] Hefele, II, p. 18. [3] Labbe VI, 607. [4] Ibid. [5] Chrysostomum talia ambitione non fecisse, videas apud Hergenröther, o. c. p. 39.

protectionem in aula habere desiderabant, alii iterum potentiam eiusdem timebant et sic paulatim iuribus propriis abdicabant, ne illum in se concitarent. Hoc tamen nondum significat usurpationes Constantinopolitanorum semper bene visas fuisse. Etenim vel ipse Ioannes Chrysostomus de canonum conculcatione, eo quod in alienas dioeceses sese immisceret, accusabatur in synodo dicta « ad Quercum » (1). Cyzicenses autem episcopum Proclum, quem ipsis Sisinnius constantinopolitanus consecravit, simpliciter respuerunt. Notatu dignum, quod hac occasione Sisinnius non ad can. 3 synodi secundae sed ad legem Theodosii II ut suum ostenderet ius, provocabat (2). Immo in ipso concilio chalcedonensi contra praetensiones episcopi constantinopolitani voces saepius resonuerunt. Ita, praeter exemplum iam commemoratum, in sessione IV, quando Anatolius defendendo Eustachium Berythensem, qui approbante synodo ἐνδημοῦσα quasdam Photii Tyrensis ecclesias surripuit, ad consuetudinem provocabat dicendo: « Nihil ergo a me factum est, quod novitati sit affine », patres synodi observantiam canonum nicaenorum postulaverunt (3). Item in sessione XI, quando causa Bassiani et Stephani dirimebatur, Leontius Magnesiae dixit: « A sancto Timotheo usque nunc viginti septem episcopi facti omnes in Epheso sunt ordinati. Solus Basilius violenter hic factus est, et multae caedes hinc ortae sunt » (4). Contra hanc deductionem Constantinopolitani ad S. Ioannis Chrysostomi exempla provocabant. Constanter tamen alii episcopi reponebant: « Canones obtineant! » (5).

Nihil ergo mirum, si Anatolius cum clericis suis canonis 3 labilem perspexerit valorem ac proinde illum concilii universalis auctoritate firmari, et iurisdictione apposite adiuncta, augeri concupierit.

Cui rei praecise hoc concilium aptissime inservire posse, optime sciebat, quandoquidem praecipuae sedes, Roma excepta, vigore suo tunc carebant. Etenim sedes alexandrina

(1) Hefele II, p. 94.
(2) Hergenröther, I, p. 48, nota 156.
(3) Labbe, VII, 91-98. Bassianus adducitur.
(4) Labbe, VII, 294 in margine loco Basilii
(5) Ibid.

et ephesina praesulibus nunc destituebantur; Maximus antiochenus sua erat creatura, Iuvenalis autem eo quod suo auxilio trium provinciarum palaestinensium potitus esset, ipsi gratiam parem referre tenebatur; denique primatis Thraciae in concilio Lucianus, amicus Anatolii, vices gerebat; alii vero episcopi, quorum versatilitatem optime noverat, quique plus minus ab ipso dependebant contradicere non poterant, praesertim, quum et imperatorem eidem rei cum Anatolio aspirare probe scivissent (1).

Denique in sessione XV, quum tam legati Papae, quam commissarii imperiales et multi discessissent episcopi, quin a concilio ad hoc deputata esset, sectio quaedam episcoporum Constantinopoli favens, caeteris canonibus etiam 28, adiunxit, cuius praecipuus tenor ita sonat: « Sanctorum patrum decreta ubique sequentes, et canonem qui nuper lectus est centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos discernimus ac statuimus de privilegiis (περὶ τῶν πρεσβείων) sanctissimae ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret, iure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes, urbem quae et imperio et senatu honorata sit, aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem: ut et Ponticae et Asianae et Thraciae dioecesis metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioecesum quae sunt inter barbaros, a praedicto throno sanctissimae Constantinopolitanae ecclesia ordinentur » (2)....

.... καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν' θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης· ἁγιωτάτῳ θρόνῳ εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ, καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυ-

(1) Cf. Hefele, I, p. 535. (2) Labbe, VII, 370.

τέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν· καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς τῶν προειρημένων διοικησέων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλεσίας' ».

At sequenti iam die legati romani solemniter contra canonem hunc reclamarunt. Attamen Constantinopolitani manus victas dare noluerunt, sed a legatis petierunt, num hac in re a Papa aliquod mandatum speciale recepissent. Hinc Bonifacius ex charta coram omnibus sequentia perlegit: « Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari.... ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis » (1). Quamobrem iudicibus nihil aliud supererat, quam ab utraque exigere parte, ut canones causam hanc respicientes afferret. Quapropter Paschasinus canonem 6 nicaenum adduxit ita: « Quod ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Aegyptus, ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo haec est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est, et in caeteris provinciis, primatus (τὰ πρωτεῖα) habeant ecclesiae civitatum ampliorum » .... (2).

Contra quam lectionem Constantinopolitani certe ad synodicum, in quo 3 canon constantinopolitanus reperiebatur, provocaverunt; quid autem sentiendum de lectione can. 6 nicaeni ab iisdem, postea dicemus. Post haec episcopi interrogati num sponte aut coacti canonem 28 subscripsissent, suas enuntiationes plus minus vere superficiales protulerunt, quorum tamen exitus erat: « sponte », vel: « voluntate subscripsi ». Quibus finitis, iudices sequentem suam proposuerunt conclusionem: « Ex his quae gesta sunt, et ab unoquoque deposita, perpendimus, *omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum canones antiquae Romae Dei amantissimo archiepiscopo conservari:* oportere autem

(1) Labbe, VII, 443. (2) Labbe, VII, 443.

sanctissimum regiae Constantinopolis novae Romae eisdem primatibus honoris et ipsum dignum esse, et potestatem habere ordinare metropolitas in Asiana et Pontica et Thracia dioecesibus.... Quae autem sibi videantur, sanctum et universale concilium docere dignetur » (1). Ad quae verba episcopi clamaverunt: « Haec iusta sententia: haec omnes dicimus, haec omnibus placent ». Utrum omnes episcopi, an tantummodo illi, qui subscripserant, ita clamaverint, acta non dicunt. Certum tamen est, episcopos hos ea quae nunc gerebantur, iam parum curavisse, atque diuturnis sessionibus lacessitos, sessionum finem impatienter expectasse. Hinc illae vociferationes: « Supplicamus dimittite nos. Per salutem imperatorum dimittite nos. Omnes in hac sententia permanemus, omnes idem dicimus ». Iudices ergo, talem videntes episcoporum dispositionem, non obstante legatorum contra canonem reclamatione, quae tamen actis inserta est, praecipitanter sessionibus finem posuerunt dicendo: « Quod interlocuti sumus, tota synodus approbavit » (2).

Attamen res non ita se habet, nam canonem hunc nec dimidia pars episcoporum, quorum nomina hucusque in catalogo adducebantur, subscripsit. Et quidem, ut de patriarchis et exarchis, sileamus, praecise eminentiores metropolitae, ut Thalassius caesariensis, Anastasius thessalonicensis, Eusebius ancyranus, Petrus corinthius, Eunomius nicomediensis, Iulianus coensis, Olympius constantiensis et alii, quos ista res maxime tangebat, nullam subscriptionem dederunt (3).

De ulteriore canonis huius sorte non est hic locus narrandi, sed haec quae hucusque diximus, satis demonstrant, canonem hunc non eo fine conditum fuisse, ut quidquam de papae primatu determinet, sed totum in eo esse, ut per omne fas vel nefas constantinopolitanum episcopum honore et iurisdictione tali ditet, ut iste omnes alios patriarchas et exarchas transcendens, statim post Pontificem Romanum occupet locum. Vere molimina audacia, quae tamen maius damnum, quam honorem suis attulerunt auctoribus.

(1) Labbe, VII, 451, 454. (2) Ibid.
(3) Cfr. Hefele, II, p. 539.

§ 2. — Canonis huius ad primatum relatio.

Ad meliorem canonis atque eorum, quae mox dicturi sumus intelligentiam, quaedam adhuc declarari debent.

a) Ut Anatolii et Constantinopolitanorum ambitionem retunderent, legati ad can. 6 nicaenum provocaverunt. Hic canon conditus est, ut « τὰ ἀρχαῖα ἔθη », secundum quae alexandrinae ecclesiae episcopus in plures exercebat iurisdictionem provincias, vim suam retinerent: « quoniam et Romano episcopo haec est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est, et in caeteris provinciis primatus habeant ecclesiae civitatum ampliorum » (1). Quae sunt istae civitates ampliores? Quia in synodico concilii II universalis disertis verbis dicitur: «.... orientis autem episcopi orientem solum gubernent: servatis autem primatibus, secundum canones Nicaenos, Antiochenae ecclesiae: et episcopos Asianae dioecesis Asianam dioecesim tantummodo gubernare et Ponticos Ponticam et Thraciae Thraciam solum », patet, has civitates esse sedes exarchales: Ephesum, Caesaream Cappadociae et Heracleam (2). Canon ergo 6 nicaenus « antiquas consuetudines » sancivit, quibus istae ecclesiae maiore pollebant iurisdictione, quam aliae metropoles, de quibus in can. 4 et 5 nicaeno sermo erat (3). In canone ergo nostro de solis iuribus sedium

(1) Labbe, VII, 443. (2) Hefele I, p. 395.

(3) Maioris claritatis causa adduco hic can. 6 nicaenum et canonem 2 ex synodico conc. II universalis. Can. 6 nicaenus apud Dionysium Exiguum ita sonat: « Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolin, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, caeterasque provincias, suis privilegia serventur ecclesiis ». (Alia, quae in canone reperiuntur, non sunt ad rem nostram!). In synodico autem concilii constantinopolitani II can. 2 iuxta eundem Dionysium sic sonat: « Qui sunt super dioecesim episcopi, nequaquam ad ecclesias, quae sunt extra praefixos sibi terminos, accedant; nec eas hac praesumptione confundant; sed iuxta canones, Alexandrinus antistes quae sunt in Aegypto regat solummodo; et orientis episcopi orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quae Nicaenis canonibus ecclesiae Antiochenae tributa sunt. Asianae quoque dioece-

patriarchalium et exarchalium agebatur, proinde vana sunt omnia conamina, ex eo sive pro primatu Pontificis Romani, sive contra eum argumenta construere velle. Quidam enim ex verbis: « quoniam et Romano episcopo haec est consuetudo », deducere volebant, quod concilium nicaenum iurisdictionem illam amplam ecclesiae alexandrinae ideo confirmasset, quia Papa consuevit talem ipsi tribuere iurisdictionem (1). Talis explicatio utique Papae primatum superiorem confirmaret, si esset vera. Obstat tamen auctoritas vetustissimae versionis latinae Priscae dictae, quae canonem hunc ita reddit: « Antiqui moris est, ut urbis Romae episcopus habeat principatum, ut suburbicaria loca et omnem provinciam suam sollicitudine gubernet. Quae vero apud Aegyptum sunt, Alexandriae Episcopus omnem habeat sollicitudinem: similiter autem et circa Antiochiam, et in caeteris provinciis privilegia propria serventur metropolitanis Ecclesiis » (2). Claret ergo, hic nonnisi de primatu patriarchali agi.

b) Neque illa pars canonis 6, quam legati coram omnibus perlegerunt: « Quod ecclesia Romana semper habuit primatum ». (ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα), pro primatus testimonio secure afferri potest, nam concili nicaeni acta genuina deperdita sunt, codices autem qui adhuc canones exhibent, quoad incisum hoc discrepant, nam in numerosioribus simpliciter deest.

---

seos episcopi, ea solum quae sunt in Asiana dioecesi dispensent; necnon et Ponti episcopi ea tantum quae sunt in Ponto; et Thraciarum, quae in Thraciis sunt gubernent.... Ecclesias autem Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit iuxta consuetudinem, quae est a patribus observata. Verumtamen Constantinopolitanus episcopus habeat honoris primatum post Romanum episcopum, propterea quod urbs ipsa sit iunior [nova] Roma ». Ut patet, Dionysius ex canone 2 et 3 unum effecit. (Labbe, II, 670 et III, 559).

(1) « Vera igitur explicatio haec est, Alexandrinum debere gubernare illas provincias, quia Romanus Episcopus ita consuevit; id est, quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Aegypti, Lybiae et Pentapolis.... nec apparet ulla alia probabilis expositio. Illique videtur suffragari textus graecus: τοῦτο συνηθές ἐστιν = hoc asuetum est » Bail. I, 167. (2) Labbe, VI, 1127.

Provocant quidem aliqui ad edictum imperatoris Valentiniani III, contra Hilarium Arelatensem, quem papa Leo propter usurpationes iurisdictionis punivit, emanatum, ubi et haec leguntur: « Cum igitur sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, *sacrae etiam synodi firmarit auctoritas*, ne quid praeter sedis istius inlicitum praesumptio attentare nitatur. Tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas.... Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed nostram quoque praeceptionem haec ratio probavit.... hoc perenni sanctione censemus, ne quid tam episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papae Urbis aeternae auctoritate tentare » [1]. Dicunt ergo his verbis imperatorem provocasse ad can. 6, nicaenum, qui proinde re vera incisum illud habere debuit. Sed quia Valentinianus non dicit ad quem canonem vel concilium provocare intenderit, possumus prorsus eodem modo affirmare ipsum ad canones 3, 4, 5 sardicenses allusisse. Sed posito etiam, quod imperator re vera ad canonem 6 nicaenum provocaverit, nihil adhuc eo probatur, etenim probabiliter ex eodem fonte sicut et legati hausit — ac proinde res dubia manet.

Neque verisimile est talem lectionem canonis huius approbatam fuisse istis iudicum verbis: « Ex his quae gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum canones, antiquae Romae Dei amantissimo archiepiscopo conservari », non enim eorum erat authenticitatem canonum perquirere. Etenim Constantinopolitani canonis 6 nicaeni, utpote sibi nimis contrarii, lectionem omittere debebant; hinc illa lectio, quae in actis ab iisdem facta reperitur, ab eruditis ut interpol-

[1] Labbe, VII, 442. Adduximus longiorem passum, quia hoc edictum praeclarum dat testimonium pro primatu Romano ex tempore cum concilio chalcedonensi coaevo.

latio posterior habetur. Optime autem provocare poterant ad synodicum synodi secundae, sicut re vera fecerunt. Iudicum ergo enuntiatio hunc sensum habet: Sive canonem 6, prout nunc a legatis est prolatus, sive synodicum inspiciamus, in utroque casu omnis primatus et honor praecipuus Papae servatur.

His igitur praemissis affirmamus: *A)* Tantum abesse, ut canon 28 chalcedonensis primatum Pontificis Romani infirmet, ut potius eum confirmet. *B)* Compositione tamen ita ambiguum esse, ut conclusionibus funestissimis locum praebeat. Quae nunc demonstranda sunt.

A) Canon 28, chalcedonensis primatum Pontificis Romani confirmat. Nullam hic quaestionem movemus de origine primatus Pontificis Romani, sed simpliciter supponimus eum iurisdictionem superiorem in universam ecclesiam exercuisse. Hoc supposito, dicimus canonem 28 chalcedonensem non infirmare primatum iurisdictionis Pontificis Romani. Quod probabimus: *a)* ipso canonis huius textu; *b)* ex petitionibus pro confirmatione eiusdem ad Papam porrectis; *c)* ex eiusdem canonis a Papa reiectione; *d)* ex efficacia huius reiectionis.

a) Duae partes in canone hoc distingui optime possunt: altera agit de primatu honoris (privilegiis); altera de primatu iuris. Prima pars ita exprimitur: « Etenim antiquae Romae throno quod urbs illa imperaret, iure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes, urbem quae imperio et senatu honorata sit et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem ».

Iurisdictionem autem pars sequens ita exprimit: « Ut et Ponticae et Asianae et Thraciae dioecesis metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioecesum quae sunt inter barbaros, a praedicto throno sanctissimae Constantinopolitanae ecclesiae ordinentur »....

In canone igitur hoc, satis confuso, dicitur: α) quod pa-

tres aliqui Romae, propterea quod urbs ista imperaret, iure privilegia tribuerint; β) quod centum quinquaginta patres eodem motivo moti aequalia privilegia novae Romae throno contulerint, ac proinde haec non secus ac illa in rebus etiam ecclesiasticis, magna effecta sit, attamen secunda post illam; γ) quod ad ipsius praesulem spectet ordinare omnes metropolitas Ponti, Asiae et Thraciae necnon etiam episcopos earumdem provinciarum, at hos tantummodo in territoriis a barbaris occupatis.

Iamvero hic non agi de auctoritate episcopi constantinopolitani cum illa Pontificis Romani exaequanda, colligimus ex eo, quod ipse textus tali explicationi obstat. Etenim: α) In canone isto constanter de privilegiis (τὰ πρεσβεῖα), constantinopolitanae ecclesiae, non autem de primatu (τὰ πρωτεῖα), aut auctoritate (αὐθεντία) sermo est. β) Quod privilegiis his etiam obtentis, ecclesia constantinopolitana secunda post Romanam existens declaratur. Atqui si sub privilegiis illis auctoritas, potestas, esset intelligenda, ecclesia illa, quum eius privilegia aequalia cum Romana esse dicantur, nullo modo *post* Romanam existens posset dici, nam in iure duo aequales sunt, si alter alterum nullo prorsus modo praecedit, etenim in iure qui etiam solo tempore praecedit, iam potior iure est. γ) Ipsi conditores canonis dicunt se velle confirmare privilegia, quae a 150 patribus Constantinopoli delata sunt. Atqui illi tantummodo « τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον » Constantinopolitano detulerunt. δ) Iudices quoque in concilio chalcedonensi canonem hunc de solo honore intellexerunt, nam ita rem explicant: « omnem quidem primatum et honorem praecipuum (τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν) secundum canones antiquae Romae Dei amantissimo archiepiscopo conservari », dum privilegia Constantinopolitano danda « privilegia honoris » vocant. (χρῆναι δὲ τὸν... τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν) [1].

b) Si iste canon primatus Romani infirmationem, aut diminutionem, aut translationem significat, vere impudentes erant omnes, qui eiusdem a Papa confirmationem petie-

(1) Labbe, VII, 451.

runt. Petivit autem: α) Ipsa synodus verbis vere humillimis: « Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium.... omnem vobis gestorum vim insinuavimus.... ad eorum quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam » (cf. n. 66 γ-λ). β) Imperator, ita Papam rogando:.... dignetur Sanctitas tua etiam huic parti assensum praebere » (cfr. n. 67 β), γ) Anatolius:.... « eiusmodi etiam decretum ad vestram sanctitatem sancta Synodus retulit, et nos, ut approbationem a vobis confirmationemque consequamur; obsecramusque, ut hoc etiam per vos, o sanctissimi efficiatur. Nam sedes Constantinopolitana habet patrem thronum apostolicum vestrum ». (cfr. n. 68 γ, δ). Et iterum: « Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerit reservata ». (cfr. n. 73 β). δ) Immo ipse Iulianus, legatus Papae, post concilium eumdem rogavit, ut Anatolio petitum concederet et canonem confirmaret (1).

Atqui nemo sanae mentis omnes istos episcopos et imperatorem tam impudentis facinoris et tantae subsannationis in Pontificem Romanum inculpare potest. Ergo omnibus istis persuasum erat, canone isto nulla iura Papae laedi. Insuper, si synodus constantinopolitanum episcopum cum Papa exaequare potuit, ad quid istae petitiones tam humiles? Et quomodo ille, qui nullam habet iurisdictionem superiorem, talia confirmare potuit? Respondeant iuris periti!....

c) Enimvero Papa reapse canonem hunc reprobavit, at nullibi de primatus sui laesione conqueritur, sed: α) Anatolium ita increpat: « doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicaenorum canonum institutiones conareris infringere: tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, *quo secundi honoris privilegium sedes alexandrina perdiderit* et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit: *ut his locis iuri tuo subditis* omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur » (c. 2). Et ulterius: « non convellantur *provincialium iura primatuum* (μὴ παρασπασθείη τῶν ἐπαρχιωτῶν τὰ δίκαια).... Nihil Alexandrinae sedis eius, quam per sanctum Marcum Evange-

(1) Ep. 107. Labbe, VI, 207.

listam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis.... Antiochena quoque Ecclesia.... in paternae constitutionis ordine perseveret et in gradu tertio collocata numquam se fiat inferior » (1) (c. 5). β) Proterio alexandrino scribens ait:.... « ut prosit Alexandrinae ecclesiae.... et Metropolitanis omnibus illaesam manere volui dignitatem » (2). γ) Maximo Antiocheno fere eodem sensu scripsit (3).

Ergo etiam Papa ipse canone hoc non sua, sed aliorum iura violata fuisse censebat, et haec erat causa, cur ipsum respueret.

Difficultas tamen contra hanc nostram assertionem peti posset ex illis verbis Leonis de Anatolii ambitu ad Marcianum: « Alia tamen ratio est rerum saecularium alia divinarum: nec praeter illam petram, quam Dominus pro fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio » (Ep. 104, Labbe VI, 191).

At haec verba optime intelligi possunt de mera commemoratione primatus, ut Anatolius, qui eiusdem significationem optime noverat, promptius Papae obediat, quod si non facturus esset, sciret constructionem magnitudinis suae in rebus saecularibus fundatae non fore stabilem.

Et sane mirum! Ille Leo, qui ubique praerogativas sedis Romanae inculcat, sciens canone hoc sedis suae primatum subverti, in epistolis ad Anatolium et caeteros, praesertim occidentales, de hac inaudita arrogantia altum tenet silentium et eodem tempore tali omnibus loquitur auctoritate, qualis in epistolis eius postsynodicis apparet, quin ullum exhibeat signum, auctoritatem suam in discrimen vocari! Et agitur de articulo fundamentali Ecclesiae! Atqui tale silentium explicari vix potest, si Leo canonem istum primatus Romani subversivum habuisse admittatur.

Obiectio: Lucentius, legatus Papae, in ipsa synodo clare dixit: « Sedes apostolica nobis praesentibus humiliari non debet: et ideo quaecumque in praeiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci iubeatis » (4). Ergo canone illo sedes Romana humiliata est!

(1) Ep. 106. Labbe, VI, 199, 206. (2) Ep. 129, Labbe. VI, 272.
(3) Ep. 119. Labbe, VI, 240. (4) Labbe, VII, 454.

Respondeo: Verba Lucentii non ad hunc canonem referuntur, sed ad episcoporum resistentiam, qui, quamvis Papae audivissent mandatum legatis intimatum: « Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari », nihilominus in suo perstiterunt conatu.

d) Papa auctoritate absoluta canonem hunc reiecit: « Consensiones vero Episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes.... in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.... ita ut etiam si multo plures aliud, quam illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a praedictorum constitutione diversum » (cfr. n. 70, 69, 71, 74).

Et haec reiectio effecit: α) Ut Anatolius omnimodam promitteret obedientiam: « ut illa vobis obediendo complerem, quae vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus absit, ut eis ego quaecumque mihi fuissent mandata per litteras, adversarer »...; et insuper semet excusaret de canone condito: « De his autem quae Constantinopolitanae gratia Sedis sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me.... Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerit reservata » (cfr. n. 73, α, β). β) Ut imperator quoque patriarcham suum in eius ambitiose fulcire desisteret, atque Papam de canonum custodia laudaret: « Illud profecto, ut decebat Episcopum apostolicae Sedis, excellenter tua Sanctitas praestitit, ut Ecclesiasticos canones custodiendo, nihil antiqui moris.... passa sit innovari »; consensum autem suum, canoni prius datum, ita excusaret:... « quibus adversari noluimus, nondum adfirmante tua in Deo caritate, catholicae fidei et verae orthodoxae Chalcedonensem Synodum » (1). γ) Ut canon omni valore destitutus ab omnibus haberetur; hinc non modo in latinis: Dionysii Exigui, Isidori, Priscae; graecis: Ioannis Scholastici antiocheni, Theodori Lectoris aliorumque; arabica: Iosephi Aegyptii, cano-

(1) Ep. 110. Labbe, VI, 215 sq.

num collectionibus simpliciter omitteretur, sed etiam in Nomocanone slavico tempore adhuc Photii crisi acutissimae subiiceretur, et scholio speciali addito, vehementissime reprobaretur (1).

B) Canon 28 chalcedonensis ambiguitate sua falsis conclusionibus inservire potest. Dicimus canonem hunc ambiguitate falsis conclusionibus inservire posse, non propterea, ac si tempore concilii chalcedonensis non intelligeretur, quid ipso stabilitum fuerit; sed propterea, quod postea photiani suum de primatu sensum in eundem absque magna difficultate intrudere poterant.

Omnibus quae hucusque diximus, perpensis, sensum huius canonis secundum patres illos sequentem fuisse putamus: Priore parte aequalis exigitur honor, seu privilegia sedis constantinopolitanae ecclesiae cum Romana. Quum autem hic honor, ut demonstravimus, Pontificis Romani iurisdictionem universalem intactam relinqueret, sub aequalibus illis privilegiis aliud intelligi nequit, nisi dignitas sedis patriarchalis, quam κατ' ἐξοχήν sedes Romana habuit. Talem autem dignitatem habuerunt etiam Alexandria et Antiochia. Hinc iste honor petebatur statim post sedem Romanam. Dignitas haec, ut notum est, ex fundatione ecclesiarum harum a S. Petro derivabatur. Ad hoc alludere videntur etiam verba Leonis Papae contra Anatolium prolata: « Non dedigneţur Regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem »..... (cfr. n. 69 α).

Ne autem ista dignitas remaneret meri honoris seu praecedentiae, ut canone 3 constantinopolitano stabilitum erat, in secunda parte iurisdictio confertur eidem sedi in metropolitas Ponti, Asiae et Thraciae necnon episcopos inter barbaros earundem provinciarum.

Quia tamen canonis huius erat elationem indebitam approbare, auctores eiusdem eum certis rationibus, ne nimis in-

(1) Hefele, II, 536. De nomocanone slavico cfr. Jugie in Échos d'Orient. 1920, p. 238 se., Grivec: Cerkveno pervenstvo, p. 94 sq. palaeoslavicum textum et latinam versionem eiusdem exhibet; Herbigny, p. 150 versionem gallicam.

solitus appareat, iustificare debuerunt. Iniusta autem causa mediis iniustis solet defendi. Nil ergo mirum, si canon iste mendaciis velatis, illorum quae appetebantur, iustificationem praeseferat. Et primum quidem mendacium consistit in illa affirmatione, secundum quam patres aliqui Romae privilegia tribuissent. Haec affirmatio valde captiosa erat. Non enim dicit, qui sint illi patres, quae privilegia, quando et ubi ea Romae contulerint. Alludere tamen videtur ad can. 6 nicaenum, in quo iura alexandrini et antiocheni confirmabantur, quoniam et Papae talis erat consuetudo. Ut cuique patet, expressio: « οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα », omnino mutavit sensum can. 6 nicaeni, ubi nullus invenitur sermo de privilegiis tributis, vel tribuendis, sed simpliciter τὰ ἀρχαῖα ἔθη observanda statuuntur; speciem veri tamen affirmatio haec continere videbatur, quum patres re vera de eminentia sedis Romanae aliquid indirecte affirmavissent verbis illis, quod « καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν' ».

Secundum mendacium, et quidem omnino apertum, consistit in eo, quod patres ideo privilegia Romae tribuisse dicuntur, quod urbs ista imperaret; tempore enim concilii nicaeni Roma nequaquam amplius imperii unica erat sedes: antea autem nemini in mentem venit ob praesentiam imperatorum paganorum, persecutorum christianorum, sedi Romanae specialia privilegia tribuere. Si ergo illa habuit, ut re vera habuisse constat, alio titulo ea possidebat, ex primatu cathedrae S. Petri videlicet. Hinc Constantinopolitani, deficiente sibi tali amplificationis titulo, tale auctoritatis Romanae fundamentum finxerunt, quale in urbe sua reapse invenire poterant – inde illa ratio: « quod urbs illa imperaret, iure patres privilegia tribuerunt ».

Tertium mendacium est affirmatio, iuxta quam 150 patres talia Constantinopoli tribuissent privilegia, qualia Roma habebat; nam re vera illi 150 patres omnino clare tantummodo τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, et quidem secundo loco post Pontificem Romanum sedi illi adscribere conati sunt.

Ex falsis praemissis etiam falsum consequens deducitur. Hoc patres chalcedonenses non fecerunt; fecerunt autem dis-

sidentes post Photium. Isti ergo, canoni huic innixi, sequentia stabiliunt: α) Quia patres Romae privilegia tribuerunt, claret, Papae primatum non esse iuris divini, sed ecclesiastici dumtaxat; β) Quia constantinopolitana ecclesia accepit aequalia privilegia, qualia Roma habuit – quum privilegia constantinopolitanae sint τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, – etiam romana eiusdem generis esse debent; ergo ecclesia romana habet tantummodo primatum honoris non verae iurisdictionis universalis: γ) Quia privilegia illa Romae propterea data esse dicuntur, quod urbs illa imperaret, sequitur privilegia illa transferibilia esse. Immo aliqui canonem ita explicaverunt, ac si illo reapse iam tunc temporis ad urbem constantinopolitanam translata fuissent omnia privilegia ecclesiae romanae. Huic explicationi inserviebat particula: « post, μετὰ » quae in propositione: « non secus ac illam, extolli ac magnifieri, *secundam post* (μετ' ἐκείνην) *illam* existentem », reperitur. Etenim illa particula: post, μετὰ, nihil aliud significaret, quam meram relationem temporis, ita ut prius ecclesia romana privilegia illa possideret, postea autem constantinopolitana!... At, talem explicationem vel ipsi dissidentes, ut Balsamon et praesertim Zonaras reiecerunt, dicentes praepositionem μετὰ nonnisi ὑποβιβασμὸν καὶ ἐλάττωσιν (humiliationem ac detrimentum) secum trahere. Insuper tali explicationi obstabat vetustior canonis huius intellectio. Etenim novella Iustiniani 131, cap. 2, clare dicit:... « Beatissimum archiepiscopum Constantinopoleos novae Romae secundum habere locum post S. Apostolicam senioris Romae sedem; aliis autem omnibus sedibus praeponatur ». Similiter et canon 36 synodi trullanae (1).

Hac ultima deductione excepta, aliae fundamentalem de primatu Romano apud dissidentes constituunt doctrinam. Unde historicus russicus Bolotov de concilio chalcedonensi disserens, ait: « Hic autoritas ecclesiastica Romae in tantam est elata altitudinem, qualem nunquam prius attigit. Et similiter maxima praetensionibus romanis hicce praecise percussio inflicta est. Hac ambiguitate sua concilium chalcedo-

(1) Cfr. Hergenröther, I, p. 157 et notam 86, ibidem.

nense nationalis Graecorum mentis insincerae, fere subdolae, vera est proles » (1).

Verane haec affirmatio?

Ex omnibus, quae de primatu Pontificis Romani ex concilio chalcedonensi et speciatim ex sorte canonis 28, perspicere potuimus, nostra est conclusio, patres illos prorsus nihil contra primatum universalem Pontificis Romani definire voluisse, immo illum splendide agnovisse. Illi canone illo tantummodo in dignitate patriarchali, quale nomen si tunc ignorabatur (2), res tamen optime cognoscebatur, sedem constantinopolitanam cum romana aequalem reddere voluerunt et quidem in secundo loco, ut ita alias sedes patriarchales praecederet. Et ut hoc quoque aliqua ratione plausibili perficere possent, auctores canonis huius ad « piam fraudem » recurrere debuerunt. Nullo autem argumento credere perstringimur, patres illos canonem istum mente photiana aut intellexisse, aut tali mente approbavisse.

Si autem quis argumentationem nostram insufficientem putet, et re vera hic de primatu iurisdictionis universalis Pontificis Romani agi persuasum habeat, responsionem meliorem illa, quam cl. P. Jugie dedit, vix inveniet: « Invenimur ante faciem mendacii officiosi, quod caeteroquin defectu logicae semetipsum prodit; nam si praeeminentia religiosa Romae ipsi ex gradu urbis capitis provenit, haec praeeminentia nullam habet existendi rationem, postquam nova Roma condita est, ac proinde ista iam non secundum, sed primum debet occupare gradum. Patres chalcedonenses eousque progredi non sunt ausi, quippe qui in primatum divini iuris credebant, nihilominus ita ac si non credidissent, semet exprimebant » (3).

(1) « Zdjes cerkovnyj avtoritet Rima podnjalsja na takuju vysotu, do katoroj on njedohodil prežde. I odnako že imenno zdjes nanjesen byl samyj tjažkyj udar rimskim pritjazanjijam. Po etoj dvustoronnosti svojei Halkidonski sobor jest istinoje porožděnjije nacionaljnago haraktera grekov, njeprjamogo, počti lukavogo ». (Apud Grivec: Cerkveno pervenstvo, p. 27, nota 13).

(2) Vide tamen titulos Romani Pontificis sub nro 51 p. 57 huius opellae.

(3) « Nous sommes en présence d'un mensonge officieux, qui se trahit du reste par un manque de logique; car si la prééminence reli-

*
* *

Quod constantinopolitani episcopi, resistente supremo capite ecclesiae, Romanis Pontificibus scilicet, qui canones inviolatos constanter tuiti sunt, legitime obtinere non poterant, hoc postea imperatorum favore sibi vindicarunt. Ita ecclesia byzantina, ad politicas urbis suae praerogativas provocando atque ab imperatoribus iurisdictionis superioris confirmationem petendo, sponte semet in servitutem potestatis civilis redigebat. Et mirum sane esset, si potestas civilis, quae ecclesiae suae eminentiam hierarchicam contulerat, hanc sibi subiectam esse non censeret. Ita facile illa non paucorum patriarcharum constantinopolitanorum imperatoribus, qui in causas ecclesiasticas sese immiscebant, explicatur obsecundatio.

Nec hoc satis. Ecclesia byzantina, praesertim post Photium, argumentis praeposteris primatum romanum evellere volens, ipsa constructionis propriae fundamenta conquassavit. In iisdem enim fundamentis, quibus magnitudinem suam extruxit, ruinam sui praeparabat. Si privilegia primatus romani Constantinopolim transferri poterant, eo quod imperii sedes esset, eadem ratione etiam Byzantio in alias civitates, dummodo haec regnarent, transferibilia reddebantur. Quae conclusio, si patriarchis constantinopolitanis non arridebat, ab aliis tamen, quibus hoc profuit, vi aut negotio in praxim deducebatur. Ita ecclesiarum autocephalarum, quarum numerus in dies crescebat, fundamenta iacta sunt.

At sponsae Christi, ecclesiae, tunica inconsutilis, quae elationis causa olim a constantinopolitanis scissa est, in centones, pretio venales, ibidem redacta esse videtur. Novissimis enim temporibus « Vreme », folium serbicum, die 3 Ia-

---

gieuse de Rome lui vient de son rang de capitale, cette prééminence n'a plus de raison d'être depuis que la nouvelle Rome est bâtie, et celle-ci doit occuper désormais non le second, mais le premier rang. Les Pères de Chalcédoine n'osèrent aller jusque-là, parce qu'ils croyaient à la primauté de droit divin tout en s'exprimant comme s'ils n'y croyaient pas ». (Grecque [Église], col. 352).

nuarii 1922, sequentia publici fecit iuris: « Liberatione atque unione obtentis, maxime naturalis exigentia erat, ut unio ecclesiae serbicae et eiusdem proclamaretur patriarchatus. Notum est, hac de re interlocutiones cum patriarchatu oecumenico Constantinopoli locum habuisse.... Patriarchatus constantinopolitanus pro commutatione circa mille millium cum altero dimidio francorum gallicorum ecclesiam nostram autocephalam unitam patriarchamque ipsi praepositum agnoscere consensit. Transactione hac, quamvis in rebus ecclesiasticis aliquantisper indigna esse videatur, inevitabiliter opus erat, praeprimis relate ad nostrates in Serbia meridionali adnexos, ubi influxus patriarchatus constantinopolitani adhuc viget, et ubi indispositiones contra nos, aut anathema, magnum posset causare damnum » (1)....

Quam bene tantam ruinam mens illa magna Leonis I praevidit atque praedixit verbis illis: « Alia tamen ratio est rerum saecularium, alia divinarum: nec praeter illam petram, quam Dominus pro fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit » (2)....

(1) « Poslije oslobodjenja i ujedinjenja jedna od najprirodnijih potreba bilo je ujedinjenje srpske crkve i proglašenje njeno za autokefalnu patrijaršiju. Poznato je, da su u tom pogledu vodjeni pregovori sa Vaseljenskom Patrijaršijom u Carigradu.... U zamjenu od nekih 1 i po milijuna francuskih franaka pristala je carigradska patrijaršija da prizna našu autokefalnu ujedinjenu crkvu sa patrijarhom na čelu. Ova transakcija i ako izgleda malo nedolična u crkvenim stvarima, bila je neophodno nužna, poglavito s obzirom na naše saveznike u Iužnoj Srbiji, gdje je uticaj carigradske patrijaršije još veoma jak i gdje bi neraspoloženje prema nama ili anatema mogla da bude od velike štete ». (Katolički List, br. 2. str. 23, Zagreb. 1922).

(2) Ep. 104. Labbe, VI, 191.

UBI PETRUS, IBI ECCLESIA.

Concilium chalcedonense non modo Papae iurisdictionem in universam ecclesiam, agnovit, sed insuper eum « impenetrabilem in omni errore propugnatorem », (n. 64) « vocis beati Petri omnibus constitutum interpretem », « cui vineae custodia a Salvatore commissa est », professum est. (n. 66, α, ε). Numquam haec et similia concilium proferre potuisset, nisi persuasum habuisset, a Christo ecclesiae caput visibile atque indeficiens in Petro eiusque successoribus fuisse datum. Et quidem talia post canonem 28 iam acceptatum profitebantur!

Doctrina, secundum quam solus Christus esset caput ecclesiae, quam postea dissidentes, ut primatum Pontificis Romani negare possent, excogitaverunt, concilio huic omnino est ignota. Neque ulla inconvenientia in eo reperitur, quod in ecclesia duo capita dicantur et sint, etenim Christus caput est in ordine vitae supernaturalis, Papa in ordine hierarchiae visibilis; ille caput principale, iste secundarium. « Quod iterum », observat Th. Spáčil, « ipsi dissidentes Orientis concedere coguntur, cum pro singulis ecclesiis particularibus episcopos monarchicos pastores ordinarios admittunt, qui ut capita subordinata potestatem iurisdictionis duce Christo capite supremo exerceant » (1). Perpulchre doctrinam catholicam Leo M. ita perstringit: « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores,

(1) P. 31.

omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit Christus » (1). Caeterum, Papae auctoritatem non ex civilibus praerogativis Urbis, sed ex divina institutione deductam fuisse, etiam adversarii papatus, quamquam supernaturalium horrore laborantes, historia duce, ultro profitentur. Ita protestans Seeberg: « Erat vis necessitudinum realium, qua non modo episcopi Italiae, Africae et Galliae impellebantur, ut doctrinarum et dispositionum suarum Romae quaererent agnitionem, sed etiam patriarchae Orientis constringebantur, ut relationis indesinentis cum Roma memores existerent.... Quam animose enim Maximus Confessor splendorem ecclesiae celebrat Romanae, ad quam totus terrarum orbis conspicit « ut ab ea effulgurans iubar dogmatum traditionalium recipiat », ipsa enim, quae secundum Christi verbum a portis inferi superanda non erat, claves verae fidei ac professionis possidet. His autem iisdem rationibus status quoque civilis ad agnitionem auctoritatis Romae compellebatur ».

« Enim vero Pontifices omnia isthaec ipsa iura non in animi dote singulari, neque in legislatione rei publicae, sed in praeexistenti iuris divini institutione fundabant.... Vere mirum, quam simplex et rude, per se consideratum sit fundamentum iuridicum, in quo historiae maxime mirabilis errecta est structura » (2).

(1) Migne, PL 54, 149, cfr. Spáčil, l. c.

(2) Es war der Druck wirklicher Bedürfnisse, der nicht nur die Bischöfe von Italien, Afrika und Gallien dazu trieb, Anerkennung ihrer Lehren und Ordnungen in Rom zu suchen, sondern der auch die Patriarchen des Ostens nötigte, auf stete Fühlung mit Rom bedacht zu sein... Wie begeistert hat doch Maximus Confessor die Herrlichkeit der römischen Kirche gepriesen, auf die der ganze Erdkreis hinblickt « um von ihr zu empfangen den hellen Strahl der überlieferten Dogmen », sie, die nach Christi Wort von den Pforten der Hölle nicht überwältigt werden soll, hat die Schlüssel des rechten Glaubens und Bekentnisses. Dieselben Motive haben aber auch den Staat zu der Anerkennung der Autorität Roms getrieben » (o. c. p. 532).

« Aber all diese Rechte begründeten die Päpste nicht etwa auf eine besondere Gabe des Geistes, auch nicht auf die staatliche Gesetzgebung, sondern auf eine vorhandene Institution des göttlichen Rechtes.... Et ist erstaunlich, wie einfach und plump, im Grunde genommen, die Rechtsgrundlage ist, auf der sich eines der Grossartigsten Gebilde der Geschichte erbaut hat » (p. 535, 536).

Utique « simplex et rude » fundamentum, ac proinde vere mirabile! At ille apostolus gentium, Paulus, talium factorum explicationem dat sublimem:.... « quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret » (I Cor. 1, 27 sq.). Et ut maxime mirabilem in historia structuram erigeret, Christus Deus simplicem elegit piscatorem, cui dixit: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam » (Mt. 16, 18).

Haec est ratio, cur S. Ambrosius (340–397) ita clare scribere potuerit: « Ipse est Petrus cui dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia » (1).

Hanc fidem concilium chalcedonense verbis illis: Petrus per Leonem ita locutus est – Πέτρος διὰ Λέωντος ταῦτα ἐξεφώνεσεν » (n. 49), et: « Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras – ὧν σύ μὲν, ὡς κεφαλὴ, μελῶν, ἡγεμόνευες », solemniter professum est (n. 66 δ). Professio haec non obstante canone 28, et aliis conaminibus quibus aliqui romanae ecclesiae auctoritatem in Oriente offuscare tentabant, inalterata in cordibus fidelium vigebat usque ad schisma finale peractum, immo et ulterius. Documento sit testimonium S. Maximi Confessoris, ad quem Seeberg allusit: « Omnes enim orbis terrarum fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam Ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans expectantes iubar » (2); et illud S. Theodori Studitae, qui adhuc anno 817, papam Paschalem I, ita affatur: « Audi, apostolicum caput, a Deo praeposite pastor ovium Christi, ianitor regni caelorum, petra fidei, super quam aedificata est catholica ecclesia. Petrus enim tu, Petri sedem exornans et gubernans » (3). Ἄκουε, ἀποστολικὴ κάρα, θεοπρόβλητε ποιμὴν τῶν χριστοῦ προβάτων·

(1) In ps. 40 n. 30. Migne, PL 14, 1134. (2) Migne, PG 91, 137.
(3) Migne, PG 99, 1152, cfr. Pargoir, p. 289-292.

κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας' πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ἧ ὠκοδόμηται ἡ καθολικὴ Ἐκκλεσία. Πέτρος γὰρ σὺ, τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων ».

Hinc ex omnibus hucusque dictis non ecclesiam romanam esse illam, quae communem fidem de primatu mutavit, sed schismatis auctores hoc fecisse concludimus. Ecclesia ergo dissidens quousque primatum divinum Petri eiusque successorum reiicere pergit, eousque cum concilio chalcedonensi, SS. Patribus et universali octo priorum saeculorum traditione in aperta contradictione invenitur. Ex quo sequitur, eam debere cum reiecto primatu etiam concilium chalcedonense, utpote primatus testem invictum, reiicere, ac proinde titulo « ecclesiae septem conciliorum oecumenicorum » non se ornare – aut cum concilio chalcedonensi cum illa ecclesia semet iungere, quae huius concilii doctrinam de primatu adhuc tenet ac defendit – cum ecclesia videlicet catholica romana, – ibi enim est Petrus! S. Ambrosius autem scribit: « Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna ».

Deo Optimo, Maximo Laus et Gloria.

ERRATA			IN TEXTU	CORRIGE:
p. 1	textus	linea 18	rustici	russici
p. 4	nota 3	» 4	πατσιαρχικοῦ	πατριαρχικοῦ
p. 10	» 1	» 1	Grivec, p. 25	Grivec, Pravoslavje, p. 25
p. 38	textus	» 19	praemisimus	praemiserimus
p. 49	»	» 19	συνόδου; σοῦ...	συνόδου, σοῦ...
p. 56	»	» 2	a iudicis	a iudicibus
p. 60	»	» 21	ἀδιδάχθη	ἐδιδάχθη
p. 64	»	» 29	διδάχθεῖσαν	διδαχεῖσαν
p. 84	»	» 15	consilium	concilium

234.32
H254

458842

Primatus Pontificis
Romani / T. Harapin

234.32
H254

458842

Primatus Pontificis
Romani / T. Harapin

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO